3 1761 00130953 3

DT
319
I17
1839

Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/primordiadominat00ibna

PRIMORDIA DOMINATIONIS MURABITORUM,

e libro arabico vulgo *Kartâs* inscripto,

auctore

ABU-L-HHASSANO IBN ABI ZERA',

collatis codicibus Bodleianis, Leidensi, Parisinis

et Upsaliensi

edidit

CAROLUS JOHANNES TORNBERG

PH. D. ET A. A. L. L. M., IN ACAD. UPSAL. LITTERAT. ARAB. DOCENS.

(Ex Actis Regiæ Societatis Scientiarum Upsaliensis, Tom. XI.)

Upsaliæ, excudebant Reg. Acad. Typographi

MDCCCXXXIX.

DT
319
I17
1839

PRIMORDIA DOMINATIONIS MURABITORUM

e libro arabico vulgo *Kartâs* inscripto,
auctore ABU-L-HHASSANO IBN ABI ZERA',
collatis codicibus Bodleianis, Leidensi, Parisinis
et Upsaliensi

edidit

CAR. JOH. TORNBERG
IN ACAD. UPSAL. LITTERAT. ARAB. DOCENS.

PROOEMIUM.

Unicuique diligentius inquirenti rerum mutationes, quæ tot ac tantæ regna Africæ commoverint, religio vel potius ex ea profectus fanaticus quidam furor caussa omnium potentissima et frequentissima occurrit. Rem loquor adeo notam, ut, si exempla quæsiveris, longam regnorum seriem adferre liceat, Edrisitarum, Zeiritarum, Fatimidarum et aliorum, quæ omnia eodem ferme modo condita iisdem subsidiis aucta sunt atque amplificata. Nec aliter exstitit illud imperium, quod historici hispanica pronunciatione de-

cepti *Elmoravidos* vocant, rectius *Murabitun*, vel latine *Murabitorum* nominandum, apud Arabes etiam *Lemtunense* a tribu validissima omnium, quæ novam professæ sunt doctrinam, denominatum. Ab initiis exiguis, ut fit, ortum, mox in ingentem orbis terrarum partem vi insuperabili sese effudit. A'bd allah ben Jasîn Guzulensis prima regni fundamenta, Islamismo inter gentes Deserti incolas adhuc rudes prædicando, struxit anno Fugæ CCCCXXXIV (post Chr. nat. MXL$\frac{11}{111}$); belloque sacro, officio Muslimorum maximis præmiis digno, contra infideles nuntiando Lemtunam tribum e desertis eduxit. Armis suis, fide Muslimica magis magisque animos hominum incitante adjutis, in tantam mox evexit magnitudinem imperium, ut ipso moriente anno CCCCLI (p. Chr. n. MLIX) jam major Meghrebi pars potestati Murabitorum esset subjecta. Mox vero regnum novum in duas partes sese divisit. Nam anno CCCCLIII (p. Chr. n. MLXI), quum Abu Bekr ben O'mar, qui dux fuit eo tempore, in Desertum Nigritas debellandi caussa proficisceretur, Jusufum ben Teschfîn patruelem vel potius filium patruelis heredem instituit totius Meghreb, ipse autem cum magnis Murabitorum copiis Desertum petiit ibique variis Nigritarum gentibus devictis novum sibi comparavit imperium, quod nos incognitum latet. Ad hunc annum fragmentum libri Kartâs, publici juris nunc factum pertinet.

Jusufo enim ben Teschfîn regnante novam induit faciem regnum Murabitorum. Huic tanta obtigit felicitas, ut, postero anno urbe Merrâkesch (Marocco), sede regia, condita, iisque, quæ nondum in Meghreb erant occupata oppida, expugnatis, in Hispaniam transiit. Post pugnam apud Zalakam prope Badajoz (die XV mensis Redjeb anno CCCCLXXIX; p. Chr. n. die XXVIII Octobr. MLXXXVI), ubi Christianorum fregit potentiam, titulum Emir el Muslimin in futuræ magnitudinis præsagium sibi vindicavit et maxima Hispaniæ parte brevi potitus est. Sed quemadmodum vicissitudo in ceteris regnis, virtute hominis cujusdam conditis, successorumque imbecillitati fere continue expositis e rerum natura sequitur; ita etiam in excelso illo fastigio non diu mansit potestas Murabitorum. Alia enim secta, ejusdem fere originis, quæ, quia dogmate unitatis Dei præcipue innitebatur, nomen *Muvahhidun* (Unitarii), vulgo *Almohadi*, acceperat, vestigia legens Murabitorum, Meghreb et mox Hispaniam duce præclaro A'bd el Mumen occupavit et imperium illorum deinceps plane evertit. Reliquiæ tantum exiguæ, regibus Ibn Ghanijæ posteris, primum in oris Africæ maritimis ad Kabes parvam tenuerunt potestatem; unde a Muvahhedin ejectæ in Majorcam transmigrarunt, ubi usque ad annum DCIX (p. Chr. n. MCCXX$\frac{II}{II}$) regna-

runt. "Anno tandem DCXXXI (p. Chr. n. MCCXXX$\frac{III}{IV}$)", ait Ibn Khaldûn, "potestas Murabitorum e terra plane evanuit; tribus eorum, quæ Desertum petiverant, regibus Nigritarum subjectæ, consuetudines pristinas servantes ibi adhuc degunt" [1]).

Si Murabiti eam præcipue ob caussam memorandi nobis videantur, quod historia eorum fatis Europæ meridionalis sub spatio temporis haud brevi intime cohæserit, ideoque eæ res eorum gestæ præ ceteris adtentionem nostram ad se adliciant, quæ ratione quadam ad Europam pertineant; attamen aliæ non desunt caussæ, quæ primordia, explicationem et progressum talis dominationis cultum generis humani adtentius perquirenti summi faciant momenti. Et si ipsum spectaculum ejusmodi rerum vicissitudinis animos videntium adtentos reddat, necesse est; eo magis curiositas nostra est excitanda, si ad origines respexerimus hujus populi, cujus arma fidem Muslimicam inter Deserti populos adhuc ignaros et incolas montium Africæ barbaros propagaverunt, vacillantem in Hispania Muslimicorum potentiam sustinuerunt et impetum cohibuerunt Christianorum. Quamvis in diversas abeant partes scriptores, quorum testimoniis in hac re dijudicanda innitimur; omnibus rite perpensis concludere fas est, eam unam fuisse e fere

innumeris *Berberorum* tribubus, quæ, jam meridiem versus depulsæ, deserta invia montesque inaccessos inhabitant, olim autem per totam Africam septemtrionalem a mari inde Atlantico ad Nilum usque stationes habuerunt. Jam antea alia tribus Berberica, Zenata adpellata, Zeiridarum imperium condiderat; et Muvahhidun ipsi, ex alia ejusdem populi familia Mesmada vocata posterius sunt profecti. Nec parum contulerant Berberi ad regnum Edrisitarum condendum ac Fatemidarum constituendum. Ne itaque mireris, tantam gentem, quæ in fata populorum summam exercuit vim, doctorum oculos in se convertisse. Fuerunt, qui putarent Berberos aborigines Meghrebi fuisse; alii, non sine veritatis specie origines eorum a temporibus Karthaginiensium repetentes, eosdem fuisse ac Numidas autumant [2]). At omnino confitendum est, notitiam nostram horum populorum, quamvis viri summi nominis disquisitiones de hac materie instituerint, eâ non ampliorem esse, quam Arabes quinque abhinc seculis habuerunt. Postquam his temporibus, expugnata a Gallis civitate Aldjiriana, Europæi propius ad Berberos accesserunt, vividior renata est cupido hujus populi cognoscendi. Quare effata etiam Arabum unicuique rem penitus perscrutanti in primis sunt perspicienda.

Inter alios [3]) rerum Africanarum scriptores, auctor libri vulgo *Kartâs* inscripti insignem sibi vindicat locum. Quum orationis simplicitas tum rerum narratarum manifesta veritas eum valde commendat. In urbe Fâs viventi prope ad ea loca ubi Berberorum tribus dominatæ sunt ei facile fuit certiorem quam alii notitiam de iis sibi comparare. At quamvis liber ejus a multis sit laudatus, fata scriptoris, ut viris de sua ætate bene meritis sæpius accidit, omnino latere videntur. Mihi saltem non obtigit, ut obscuritatem, qua vita talis viri immerito tegitur, aliquo modo dispellerem. Annus etiam mortis ignoratur, neque aliud quidquam constat, quam quod codices ipsi exhibent. Et hi quidem inter se ratione habita ad libri inscriptionem et auctoris nomen, ita discrepant, ut conjectura modo, quid verum sit, adsequi possimus. Ut a Codice Upsaliensi incipiam, sic ille inscribitur: كتاب الانيس المطروب بروض القرطاس، (in margine: صوابه المطرب) في اخبار ملوك المغرب، وتاريخ مدينة فاس، تاليف الشيخ الجليل المحدث ابو محمد صالح ابن عبد الحليم i. e. *Liber amici familiaris, in hortis chartæ exhilarantis* (secundum lectionem marginis, quæ sola vera est); *de rebus gestis regum Meghrebi et historia urbis Fâs; auctore illustri Doctore, traditionum peritissimo, Abu Muhhamed Salihh Ibn A'bd el Hhalim.* Quod ad primam inscriptio-

nes partem seu titulum adtinet, cum rectissimum in hoc codice expressum credo, ad quem omnes, quos vidi aut in Catalogis descriptos inveni, Nostri codices, levissima plerumque mutatione sese conformant. In nomine autem auctoris major est diffirentia. Codex Escurialensis (vid. *Casiri*, Bibliotheca Arab. Hisp. T. p. 159) cum Upsaliensi conspirat, auctorem esse Granatensem solummodo addens. Quem sequitur in versione Portugalensi Antonius Moura et Petis de la Croix in versione gallica. Ceteri omnes, sicut Lcidensis N:o XVII, Havniensis XXXV et XXXVI (olim Hoestii), Bodleianus CCCIII cet. quibus addatur Dombay in versione germanica, cum adpellant *Abu-l-Hhassan Ali ben A'bd allah ben Abi Zera' Fasensis* (ابو الحسن علی بن عبد الله بن ابی زرع الفاسی) nomine plus minusve in compendium redacto. Si genium libri consulueris, satis superque tibi elucebit, neminem, nisi Fâs inhabitaverit, tot ac tantas in hujus urbis descriptione minutias adferre potuisse, ac eas, quæ in hoc opere inveniuntur. In iis præcipue enarrandis, quæ ad fata Fâsi adtineant, mirifice delectari videtur. Constat quoque, eum, regnante familia Merinidarum, quæ Fâs caput regni elegerat, heic vixisse, id quod e multis libri locis demonstratur. Testimoniis, quæ præbet magna Codicum copia, accedit novum ex *Hadji Khalfa* (vid. Observv. not. IV) et, qui cum

sequitur, *Herbelotio* (s. v. *Zora*, *Carthas*, *Fas* et *Tarikh Fas*). Quas ob caussas non dubito contendere, nomen Nostri verum id fuisse, quod hi autumant; quamvis ambæ sententiæ ita quodammodo concilientur, ut Granada urbs natalis ei fuerit, unde posterius in Africam transmigravit. — De tempore, quo vixerit, id certe scimus, eum imperante Abu Said O'thmân ben Abu Jusuf Ja'kub ben A'bd el Hhakk, nono Merinidarum rege (intra annos DCCX et DCCXXXI; p. Chr. n. MCCCX — MCCCXXX) librum suum composuisse, ubi ultimus, qui memoratur annus est DCCXXVI (p. Chr. n. MCCCXX$\frac{V}{VI}$).

Argumentum libri hoc fere est. Post preces solennes caussam hujus scriptionis breviter exponit auctor et deinde ad materiem propositam, historiam scilicet urbis Fâs, statim transit, eamque in quinque dividit sectiones, secundum varias, quæ urbem illam occupaverant, dynastias. I. (In Codice Upsal. a fol. IIda r. ad XXVIII v.) *Historia regum Meghrebi e familia* Edrisi Hhassanitæ, *ubi narratur de regno eorum, deque urbe Fâs, imperii sede regnique domicilio, ab iis condita* (الخبر عن ملوك المغرب من الادراسة الحسنيين وذكر قيامهم فيه وبنايهم مدينة فاس دار ملكهم وقرار سلطانهم). Historia ab anno Fugæ

CXLV (p. Chr. n. DCCLX$\frac{II}{III}$) incipit. — II. (Fol. XXVIII —XXXIII v.). *Historia regni* Zenatæ *e tribubus Moghrava et Beni Jefrun in Meghreb, imperiique ibi constitutione* (الخبر عن دولة زناتة المغراويين واليفرنيين بالمغرب وقيام ملكهم به). Zeiridarum regnum e Zenata oriundum heic intelligit auctor. — III. (Fol. XXXIII—XLVIII v.) *Historia initii dynastiæ* Murabitorum *e tribu Lemtuna profectæ, ejusque in meridionalibus regionibus, Meghrebo et Hispania dominationis; memorantur etiam reges eorum et quantum temporis duraverit eorum ætas, usque ad imperium exstinctum* (الخبر عن ظهور الدولة المرابطة اللمتونية وقيامها بالقبلة والمغرب وبلاد الاندلس وذكر ملوكهم ومدة ايامهم الى انقضايها وذهابها). — IV. (a Fol. XLVIII—LXXIX r.). *Historia dynastiæ* Muvahhidin, *successorum Abd el Mumeni et quomodo regnum ejus per Muhhamedem ben Tumert* [5]), *Mehdi adpellatum, sit constitutum* (الخبر عن دولة الموحدية المومنية وقيامها على يد محمد بن يومر المسمى المهدى). — V. (a fol. LXXIX ad finem usque libri) *Historia dynastiæ fortunatæ* Merinidarum, *Abd el Hhakki successorum, (quam diuturnam et æternam reddat Deus, auctoritatem ejus evehat, eamque viribus sustentet); deque genealogia ejus sincera, conservatione justitiæ et veræ fidei, regibus ejus, ex-*

pugnationibus et bellis sacris, vita illustri, merit s et monumentis. (الخبر عن دولة السعيدة المرينيّة العبد للحقيّة اطالها الله وخلّدها واعلى كلمتها وايدها وذكر نسبها الصريح وقيامها بالحق والاعتقاد الصحيح واخبار ملوكهم وفتوحاتهم وغزواتهم وسيرهم الجميلة ومآثرهم وايثارهم). Ad finem singulorum capitum additur brevis omnium, quæ tempore dynastiæ descriptæ acciderant, rerum memorabilium recensio, ad annorum seriem disposita. Ceterum chronici more res ubique enarrantur et cujusque dynastiæ origines repetuntur.

Indicium præstantiæ libri et utilitatis, nisi ex ipsa argumenti expositione elucescat, inde quoque petere possumus, quod tribus seculis postremis obtinuit versiones, in singula unam. *Petis de la Croix,* ut narrat Ol. Celsius (vid. Catalogum Centuriæ librorr. rarr. cet. Ups. MDCCVI p. 14) rogatu Sparwenfeldtii, opus præstantissimum hocce in linguam vertit gallicam. Regia Bibliotheca Parisiensis autographum hujus versionis, una cum codice infra describendo, quo usus est interpres, jam possidet, cujus exemplar nitide exscriptum, quatuor voluminibus in quarto constans, in donatione Sparwenfeldtiana N:o XI signatum servat Bibliotheca Academiæ Upsaliensis sic inscriptum: *Livre*

du Familier attaché aux parterres d'Al-Cartas, touchant les histoires de Rois de Mauritanie et les annales de la ville de Fez, composé par l'excellent Cheik Abu Mehemet Saleh fils d'Abdel hhalim. In nostro apographo multa insunt spatia vacua relicta, ubi forsan Petis de la Croix de sensu verborum dubius hæserit. Qui ceterarum hujus viri versionum indolem cognoverit, eandem heic quoque inveniet. Speciem potius paraphraseos, ad sensum magis quam verba adcommodatæ, quam fidæ interpretationis præ se ferunt, cel. Professore genio suæ ætatis sine dubio indulgente. — Annis MDCCXCIV—XCVII Agrami prodiit, duobus voluminibus in octavo comprehensa versio Germanica hoc titulo insignis: *Geschichte der Mauritanischen Koenige. Verfasst von dem Arabischen Geschichtschreiber Ebül-Hassan Aly Ben Abdallah Ben Ebi Zeraa, aus der Stadt Fess gebürtig. — Uebersetzt — von Franz von Dombay.* Non sine laudatione adjecta eam dijudicavit *Silvestre de Saey* in Ephemeridibus *Magazin Encyclopédique* adpellatis (vid. ad tertium annum Tom. V, et ad annum quartum Tomm. II. et V.). At etsi præcedentem multo superet, merito culpandus eo mihi videtur, quod plura supervacanea et in versione omittenda duxit Dombay, quæ tamen admodum observatione digna et summi sunt pretii. Forsitan, difficultatem vertendi persentiens, obscuriora reliquit loca si-

cut carmina heic illic interserta et inprimis Moskei Fasani descriptionem, quam, si quis alius, ille, sex annos in his regionibus commoratus, explicare potuisset. Errores haud pauci obvenientes codici vitioso sine dubio sunt adnumerandi, ut et nominum nonnumquam falsa scriptio et in annis hallucinatio. — His demum temporibus, ut Historiæ Portugalliæ lucem adferret, versio portugallica textui arabico magis congrua accurate est composita. Præfert hanc significationem: *Historia dos Soberanos Mahometanos das primeiras quatro Dynastias, et de parte da quinta, Que reinarão na Mauritania, escripta em arabe por Abu Mohammed Assaleh, filho de Abdelhalim, natural de Granada, e traduzida, e annotada por Fr. Jozé de Santo Antonio Moura, Ex Geral de Congregação da Terceira ordem da penitencia — — Lisboa MDCCCXXVIII.* Qu. Ut in præfatione interpres indicavit, quatuor codices eosque optimos ante oculos habuit in versione elaboranda, quæ duabus supradictis et fidelitate et integritate antecellit. Quæ e versione ejecit loca, maximam partem sunt carmina ambitus longioris, minoris vero momenti. Diversitatem si quam ab iis codicibus, quos inspexi, quibusdam locis notavi, eam a librorum, qui litteris, quas vocant, africanis sunt exarati, natura explicare licet; quum ii et ob ipsum

scripturæ genus et propter majorem librariorum negligentiam lectu sint difficillimi.

Post tot ac tantos labores nemo adhuc operæ pretium censuit librum Nostri arabice edere. Studio litterarum orientalium indies crescente, ætas nostra postulat, ne ulterius in verba juret interpretis, ut auctorem lingua sua loquentem cognoscat et consulat. Perlecto codice Upsaliensi, statim me cepit cupido, fortuna adjuvante mitiore, eum olim publici juris faciendi. In itinere ad exteros mox deinde suscepto in id studui, ut quamplurimos libros Nostri manuscriptos Upsaliensi conferrem. Suppellectile lectionum varietatis haud exigua collecta, redux mecum constitui fragmentum, specimen editionis futuræ, publicare, et initium tertiæ libri sectionis, in codice Upsaliensi quinque folia complectens, fini conveniens elegi. At obstabat defectus typorum arabicorum. Diu hæsitabundo mihi opem tulit Mæcenas illustrissimus, Liber Baro *Constantinus d'Ohsson*, a S. Regia Majestate ad Aulam Prussicam Legatus, cujus in me beneficia rite celebrare non valeo. Copia ab Academia Scientiarum Berolinensi benigne facta, typos apud Deckerum fundere curavit et Upsaliam misit. Sit igitur sequens fragmentum, quod in acta sua inserere haud recusavit Regia Societas Scientiarum Upsaliensis, no-

vorum etiam typorum specimen. Ut vero judicent lectores, quæ mea fuerit cura in textu recognoscendo, necessarium duxi præmittendam brevem manuscriptorum, quæ ad manum habui, recensionem.

Codex *Upsaliensis* (U.), in legato Sparwenfeldtii X^us, formæ in folio, chartæ crassæ, litteris africanis, ut ceteri quos vidi, calamo grosso sed satis eleganti exaratus est. Folia numerat CXVIII, iis exceptis, quæ in initio et fine libri traditionibus insulsis plena reperiuntur. In duas partes est divisus, quarum secunda folio LIX^no incipit. Rubricæ et initia novæ materiei minio sunt distincta. Inscriptio jam supra adlata est, in subscriptione recurrens, voce بروض in روض tantum mutata. Opus absolvit librarius anno DCCCCLXXXVIII (p. Chr. n. MDLXX$\frac{VII}{VIII}$) in urbe *Tembekt* (في مدينة تمبكت — forsan Timbuktu). Codex in genere optimæ notæ est habendus. — Bibliotheca *Leidensis* (L.) exemplar possidet Numero XVII signatum, formæ in quarto, foliorum CLXIX manu elegante quamquam non sibi constante, lectu tamen facili, anno DCCCCLXXXIX (p. Chr. n. MDLXX$\frac{VIII}{IX}$) descriptum. Lacunæ quædam insunt minores, ubi librarius archetypum, ut videtur, legere non potuit, ex quo etiam explicari possunt distortæ quædam

lectiones. Calamus recentior, voce كذا (i. e. sic!) vocabulis superscripta, vitia notavit manifesta et in margine loca majoris circuitus indicavit prætermissa. Alius etiam recentior paucis modo locis conjecturam suam substituit. In duobus primis codicis foliis doctus quidam (cl. Weyers se manum Scheidii agnoscere putabat) lectionum varietatem, deinde abruptam, adscripsit; ejusdem autem manus observationes in duobus ultimis foliis iterum leguntur. Ut in Upsaliensi, sic in hoc litteræ quædam se inter ita commutantur ut ت pro ث, د pro ذ cet. scribatur. Quæ variatio, ut plures aliæ manuscriptorum orientalium differentiæ, ita optime explicari videtur, si librarium ad vocem anagnostæ librum exaravisse tibi finxeris. Inscriptio aliâ manu, quam quæ cetera scripsit, posterius adjecta, hæc est: كتاب الانيس المطرب روض القرطاس فى اخبار ملوك المغرب وتاريخ الفاس، يعنى خمسة دول، دولة السادة الادارسة الحسنيين، ودولة زناتة، ودولة لمتونة، ودولة الموحدين، ودولة بنى مرين، تاليف الفقيه المورخ ابى الحسن على بن ابى زرع i. e. *Liber amici familiaris, hortos chartæ exhilarantis; de rebus gestis regum Meghrebi et historia Fási; quinque scilicet dynastias comprehendens: Edrisitas Hassanitas e familia Prophetæ orun-*

dos, Zenatam, Lemtunam, Muvahhedin et Beni Merin. Quem scripsit jurisconsultus et historiographus Abu-l-Hhassan A'li ben Abi Zera'. — Codex *Parisinus* (P.) jam laudatus, anno DCCCCLXXI (p. Chr. n. MDLX$\frac{III}{IV}$) non satis pulchre scriptus, initio mutilus est. Quare ex alio codice (forsan Sparwenfeldtii) proœmium separatim exscripsit Petis de la Croix et codici suo deinde adjunxit. In fronte libri sic inscribitur: كتاب القرطاس فى اخبار ملوك المغرب وتاريخ مدينة فاس; at in fine idem occurrit titulus, quem in subscriptione Upsaliensis legimus. Magno usui mihi fuit hoc Manuscriptum, cujus indoles omnino bona est.— Aliud exemplar (Ch.) mihi Parisiis degenti liberalitas suppeditavit clarissimi *Champollion Figeac*, e bibliotheca quondam fratris desumtum. Volumen non magnum, præter Nostrum quatuor complectens alios tractatus, ad historiam Edrisitarum spectantes, atramento pæne deleto anno MCLXI (p. Chr. n. MDCCXL$\frac{VII}{VIII}$) exaratum est. Præfamine caret ac statim ab Historia Edrisi initium facit. In subscriptione titulus legitur, qui codici Leidensi plane convenit. In primo folio Legrand anno MDCCLXXV adscripsit manuscripti, quod quondam Chenier consuli Gallico apud Marocanos fuit, notitiam, ubi libri inscriptio sic vertitur: *Livre de l'ami joyeux, jardin des feuilles de l'arbre généalogi-*

que des princes idrisiens et autres, qui ont regné en Afrique. — Bibliotheca *Bodleiana* quatuor habet Nostri exemplaria, quorum *primum* (Bc), codicem Bodlei. CCCIII, in Catalogo Nicolliano pagina CXVI sub Numero CXXVI optime descriptum invenies. — *Secundum* (Bb), inter codices Marsh. DLXXXII, in Catalogo Urii numero DCCCIX notatum, in Quarto, anno MLX (p. Chr. n. MDCL) scriptum in CCCXCI paginis Kartâs integrum, si præfationem excepperis, continet. Inscribitur: هذا كتاب الانيس المطروب على روض القرطاس لـ. — *Tertium* (Ba), Marsh. CCCVI, apud Urium DCCLXII, chartæ admodum crassæ, folia numerans LXVI, anno DCCLXXV (p. Chr. n. MCCCLXX$\frac{III}{IV}$) est descriptum; cujus antiquitatis indicia ubique servat. Inscriptio hæc est: نبذ من الانيس المطرب روض القرطاس لـ على الايجاز والاختصار i. e. *Succus e libro amici familiaris, hortos chartæ exhilarantis* cet. *expressus, compressionis (?) et brevitatis caussa.* Quæ verba hæc continua excipiunt: نبذ من أخبار الادارسة الحسنيين وبنايهم مدينة فاس i. e. *Succus ex historia Edrisitarum Hhassanitarum et quomodo urbem Fás condiderint.* — *Quartum* denique (Bd) fine mutilatum, Marsh. XLVII, apud Urium DCCCXXX, recentioris ætatis, hanc fert inscriptionem:

تلخيص الانيس المطرب، في اخبار ملوك المغرب i. e. *Compendium libri* cet. Ili duo postremi codices, ut jam e titulis adparet, nihil aliud quam epitomen Nostri continent. Unum eorum magnæ esse antiquitatis vidimus. Quare ejusmodi compendium non multo post ipsum librum compositum, ab ipso forsan auctore confectum, fuisse vero simillimum est. Adfirmanti Dombay (vid. præf. versionis cit. pag. XX) creditum est, apud Maroccanos inveniri librum quendam, qui, pluribus voluminibus spissus, *Kartâs major* (القرطاس الكبير) adpellatur, a quo Noster nomini *Kartâs minor* (القرطاس الصغير) distinguitur. At si ad illa compendia in Bibliotheca Bodleiana exstantia animum adtenderis, facile conjicies, in iis latere verum illum Kartâs minorem; majorem autem eum esse, de quo heic quæritur. Donec alicui contigerit, ut alium Nostro majorem inveniat, sive apud auctorem quemquam legat Nostrum nomine Kartâs minoris laudatum, conjectura illa adfirmationi Dombayanæ præferenda mihi videtur. Certe apud Ibn Khaldûn (fol. LXXXI) ubi Noster citatur *Ibn Abi Zera'*, liber vocatur كتاب الانيس. Neque in variis codicibus talis distinctionis indicium obvenit. In Upsaliensi tantum manu admodum recente folio ex iis quæ operi ipsi sunt præfixa legitur:

تاريخ القرطاس. E quibus omnibus concludere fas est, illud tituli compendium non esse antiquum.

Antequam fragmentum judicio submittam eruditorum, non a materia tractanda multum abesse duxerim si notitias de populo Berberorum, ut comparationis instituendæ occasionem faciam, ex alio auctore arabico adjecero desumtas, qui et nominis celebritate rerumque narratarum apta dispositione et manifesta veritate dignus videtur, qui præ ceteris sit audiendus. *Ibn Khaldûnum* loquor, cujus in Historiam Prolegomena, a litterarum orientalium cultoribus diu magna admiratione accepta, flagrantissimum commoverunt desiderium ipsius Historiæ cognoscendæ. Hoc ultimo lustro tandem post varios conatus obtigit, ut secundum tria manuscripta [7]) doctis liceret judicare, cujus pretii sit Historicus Ibn Khaldûn. Historiam scripsit universalem in octo Sectiones (أجزاء), tres Libros (كتب) conficientes, divisam, ita dispositam, ut secundum cognationem populorum diversorum, imaginem ethnographice ut ajunt delineatam totius sibi noti sisteret mundi. Tertium operis librum Historiæ Berberorum totum dicavit. Quo confusior apud multos Arabum scriptores hæc res est tra-

ctata [8]), eo gratior nobis esse debet narratio, quæ subtili rerum judicio et sollertia judicandi rara subfulta, lucem materiæ obscuræ reddere potest. Quæ e codice Musei Britannici excerpsi, ratione fragmenti publicandi semper habita, in compendium redacta heic adjiciam, præmissa codicis brevi notitia.

Museum Britannicum inter Manuscripta exemplar Numero 9575 insignitum servat partis Ibn Khaldûni, quod olim Bibliothecæ *Richii* apud Baghdadenses consulis Britannici fuit. Formæ est folii minoris, et CCIV folia continet; litteris Neskhi dictis anno MXCIV (p. Chr. n. $\text{MDCLXXX}\frac{\text{II}}{\text{III}}$) bene exaratum, sic inscribitur: الجزو السادس والسابع من كتاب العبر، وديوان المبتدا والخبر، في ايام العرب والعجم والبربر، للشيخ العلامة عبد الرحمان بن محمد بن خلدون الحضرمي i. e. *Pars sexta et septima Libri exemplorum et collectionis subjecti et prædicati, de diebus Arabum, Persarum et Berberorum memorabilibus; auctore doctissimo Doctore A'bd el rahhmán ben Muhhamed ben Khaldún Hhadhremí* [9]). Quadraginta prima folia, quæ partem operis sextam complectuntur, varias tribus Arabum, quæ, Irakam, Syriam, Saïd, Nubiam, Habesch, Barkam, Afrikam et Meghreb habitantes, puro sermone

arabico non utuntur (العرب المستعجم), ordine ethnographico descriptas exhibent. Folio deinde XL^mo verso incipit Liber tertius totius operis hac inscriptione insignis: الكتاب الثالث فى اخبار البربر الامة الثانية اهل المغرب وذكر اوّليّتهم واجيالهم ودولهم منذ مبدا الخليفة ولهذا العهد ونقل الخلاف الواقع بين الناس فى انسابهم i. e. *Liber tertius de Historia Berberorum, qui secundam gentem Meghreb habitantem constituunt; ubi origines eorum, ætates et regna inde a primis Khalifati temporibus ad hoc usque seculum enarrantur. Exponuntur etiam diversæ hominum opiniones de genealogiis eorum.* De origine denominationis Berber, a qua orditur Ibn Khaldûn, nihil aliud heic adfert, quam derivationem illam a voce arabica بربر, cujus significatio est: *clamavit, vocitavit iratus* [1]); ea vero consuetudinem valde sapit Arabum e sua lingua vocabula quoque extranea explicandi. In duas magnas familias ab initio divisi sunt Berberi, ab eodem *Berber* (بربر) originem ducentes, a quibus innumeræ fere tribus, super totam Meghrebi terram dispersæ, exierunt. Altera est *Bernes* (برنس), quæ septem ramos seu tribus principales (اجذام) numerat, unde quasi ramuli aliæ deinceps sese diffuderunt. Hæ sunt: *Ardhâdja*

(ارداجة), *Mesmûda* vel *Mesmâda* (مصمودة alias مصمادة), *Eureba* (اوربة), *A'djîsa* (عجيسة), *Ketâma* (كتامة), *Sanhâdja* (صنهاجة), *Eusîgha* (اوزيغة); quibus alii addunt *Lemtam* (لمطة), *Hescûram* (هسكورة) et *Guzulam* (جزولة). Altera est *Mâdghisch* cognomine *Elebter* (مادغيش الابتر pl. بُتْر), quæ quatuor tribus principales ad se referendas habet: *Adâsam* (اداسة), *Nefûsam* (نفوسة), *Dharîsam* (ضريسة) et *Lava nata majorem* (بنو لوى الاكبر) a Lava minore, ejus filio, bene distinguendam. Ad utramque posuit Ibn Khaldûn tabulas genealogicas, quas, ut postea brevior essem in variis tribubus recensendis, ita adjunxi, ut eas, quantum fieri licuit e sequentibus Ibn Khaldûni effatis corrigerem et nomina, quibus apud auctorem carerent, eodem modo adderem, hujus illiusve tribûs domicilio notato.

Iis præmissis transit (folio XLII) Ibn Khaldûn ad origines Berberorum indagandas. "Diversæ semper fuerunt", ait, "de incunabulis hujus populi Arabicorum scriptorum sententiæ. *Mes'ûdi* Abrahami posteros fuisse autumat, qui e Palæstina per regem Persidis quendam ejecti, postquam in Ægypto sedes frustra quæsiverant, Nilo trajecto, in Meghreb sese dissiparunt. — Alii vero crediderunt, No'man

ben Hhimjar, Sabæ regem, filios suos, terram exculturos, in Meghreb misisse; e quorum progenie ibi Berberi essent orti. — Sunt etiam, qui contendant, *Djalût* (جالوت Goliat Hebræorum) eorum fuisse parentem; at jam pridem eam sententiam A'li ben A'bd el a'zîz Djurdjanensis improbavit et satis superque refutavit. — *Taberistanensis*, cui alii adsentiunt, dicit, Berberos Cananæis et Amalekitis inter se mixtis ortum debere. — Afrikus rex, e plurium sententia, ex oris Syriæ maritimis eos ad Afrikam expugnandam secum duxit. — Haud pauci historiographi arbitrantur, Israëlitas, mortuo Goliat, vel secundum alios, jam tempore Josuæ ejusque ductu, Berberos e Palæstina expulisse, qui, Ægypto peragrata, in Barka, Afrika et Meghreb Oceanum tenus considerint. Ubique heic bellis continuis contra Francos (الافرنج) pugnavisse eosque ad Siciliam, Sardiniam, Majorcam et Hispaniam propulisse; pacem tandem his conditionibus fecisse, ut Franci urbes tenerent, ipsi autem Berberi campos patentes possiderent. Sed Islamismo exorto novum rerum ordinem natum fuisse. Berberos, qui hoc tempore varias profitebantur religiones, Judaicam, Christianam vel Magicam (Idololatriam), Muslimicos jam adgressos esse; inde bella diuturna mota. — *El Bekri* eos Chami posteros facit. Cham enim, facie per imprecationem

patris in atram mutata, in Afrikam aufugit; filius ejus Berber nomen suum posteris dedit. — Qui arabicam eorum originem propugnant, ad Ghailan ben Mudhar genus referunt." — Ita expositis, quæ de hac re diversi habent auctores, opiniones has discrimini subjicit acerrimo, cujus summa hæc est. Eam sententiam solam veram censet Ibn Khaldûn, quæ Berberorum genealogiam a Canaano, filio Noachi, deducit. Dubitationi tamen locus patet, postea addit, utrum plures eorum tribus, ut *Sanhâdja*, *Ketâma*, *Levâta* et *Hevvâra*, arabici an berberici sint generis [2]).

In capite secundo (folio XLIV) terram Berberorum delineat Ibn Khaldûn, finesque domiciliorum determinat. Locum quamquam longiorem totum exponere haud abs re duxi, siquidem maximi sit momenti terram bene cognoscere, quam habitaverit populus, de cujus historia heic quæritur.

واما حده من جهة القبلة والجنوب فالرمال المهولة المثالة حاجزا بين
بلاد السودان وبلاد البربر يعرف عند العرب الرحالة البادية بالعرق وهذا
العرق سياج على المغرب من جهة الجنوب مبتدى من البحر المحيط وذاهب
في جهة الشرق على سمت واحد الى ان يعترضه النيل الهابط من
الجنوب الى مصر فهنالك ينقطع وعرضه ثلاث مراحل وازيد ويعترضه في
قبلة المغرب الاوسط ارض محجرة تسمى عند العرب الحمادة من دوين مصب

الى بلاد زيغ ووراه فى جهة الجنوب بعض بلاد الجريدية ذات نخل وانهار معدودة فى جملة بلاد المغرب مثل بلاد بودة (؟) وشنتيت (؟) فى قبلة المغرب الاقصى وتسابلبت وتيكورارين فى قبلة المغرب الاوسط وغدامس وفزان وودان فى قبلة طرابلس كل واحد من هذه الاقليم يشتمل على بلدان غمرة ذات قرى ونخل وانهار بنتهى عدد كل واحد منها الى المئة فاكثر، والى هذه العدوة الجنوبية من هذا العرق ينتهى فى بعض السنين مجالات اهل الشام من صنهجة ومنقلبهم الخيلون هنالك الى بلاد السودان وفى العدوة الشمالية منه مجالات البادية من الاعراب الضواعن بالمغرب وكانت قبليهم مجالات للبربر كما نذكره بعد، هذا حدّ المغرب من جهة الجنوب ومن دون هذا العرق سباج اخر على المغرب مما يلى النتلول منه وهو الجبال التى تحوم لتلك التلول ممتدة من لدن البحر المحيط فى الغرب الى برتيف (برنيق leg.) من بلاد برقة وهنالك تنقطع هذه الجبال المحيطة ويسمى مبدوها من الغرب جبال درن، وما بين هذه الجبال المحيطة بالتلول وبين العرق الذى وصفناه انفا فبسائط وقفار اكثر نباتها الشجر وفيما يلى التلول منها ويقاربها بلاد الجريد ذات نخل وانهار، ففى ارض السوس قبلة مرّاكش تارودانت وايفرى فوزان وغيرهما بلاد ذات نخل وانهار ومزارع متعدّدة عامرة، وفى قبلة فاس سجلماسة وقراها لمدن معروفة ودرعة ايضا وهى معروفة وفى قبلة تلمسان بلد فيكيك قصور متعددة ذات نخل وانهار، وفى قبلة تاهرت القصور ايضا بلاد متتالية على سطر من الشرق الى الغرب اقرب ما اليها جبل راشد وهى ذات نخل ومزارع وانهار ثم بلد واركلى قبلة بجاية بلد واحد مستجر العمران كثير النخل وفى سمته الى جهة التلول بلاد زيغ تناهز الثلاثمائة منتظمة على حفافى واد ينحدر من الغرب الى الشرق ذات نخل وانهار واقرب منها الى التلول بلاد الزاب منتظمة من الغرب الى الشرق تناهز مائة من البلاد فاكثر قاعدتها بسكرة هى كبار الامصار بالمغرب وتشتمل كلها على النخل والقدن والقرى والمزارع ثم بلاد الجريد قبلة تونس وهى

نقطة وتوزر وقفصة وبلاد نفزاوة وتسمى كلها بلد قسطيلية مستجرة العمران مستحكمة الحضارة مشتملة على النخل والانهار ثم قابس قبلة سوسة وهي حاضرة البحر من اعظم امصار افريقيّة وكانت دار ملك لابن غانية كما نذكره بعدُ، وتشتمل على النخل والانهار والمزارع، ثم قزاز وودّان قبلة طرابلس قصور متعددة ذات نخل وانهار هي اول ما افتتح المسلمون من ارض افريقيّة لما اغزاها عمر بن الخطاب (و)عمرو بن العاص، ثم الوحات قبلة برقة ذكرها المسعودي في كتابه، وما وراء هذه كلها في جهة الجنوب فقفار ورمال لا تنبت زرعا ولا مرعى الى ان تنتهي الى العرق الذي ذكرناه، ومن ورايه مجالات الملثمين كما قلناه مفاوز مُعطشة الى بلاد السودان وما بين بلاد النخل هذه والجبال الله هي سياج التلول بسائط متلوّن مزاجها تارة بمزاج التلول وتارة بمزاج الصحرا في هوايها ومياهها ومنابتها وفيها القيروان وجبل اوراس معترض وسطها وبلاد الحضنة حيث كانت طينه ما بين التراب والتل وفيها مقرة والمسيلة وفيها السَّرْسَوا قبلة تلمسان حيث تاهرت وفيها جبل ديرو قبلة فاس معترضة في تلك البسائط و هذا حدّ المغرب من جهة الجنوب والقبلة، واما حده من جهة الشرق فيختلف باختلاف الاصطلاحات، فعُرف اهل الجغرافيا انه بحر القلزم المتفجّر من بحر اليمن هابطا على سمت الشمال وبانحراف يسير الى جهة المغرب حتى ينتهي الى القلزم والسويس وبعده عن مصر في جهة الشرق ثلاثة ايام هذا اخر المغرب عندهم ويدخل فيه اقليم مصر وبرقة وكان المغرب عندهم جزيرة احاطت بها البحار من ثلاث جهاتها كما تراه، واما العرف التجاري لهذا العهد بين سُكّان هذه الاقليم فلا يدخل فيه اقليم مصر ولا برقة واما يختصّ بطرابلس وما وراءها الى جهة المغرب مثل افريقيّة والزاب والمغرب الاوسط والمغرب الاقصى والسوس الادنى والاقصى هذا هو المغرب في العرف لهذا العهد وهو الذي دان في القديم دير البربر ومواطنهم، واما المغرب الاقصى منه وهو ما بين وادي ملوية من جهة الشرق الى اسفي حاضرة البحر المحيط وجبل

درن من جهة المغرب فهو فى الاغلب ديار المصامدة من اهل درن وبرغواطه (برغواطة ا.) وغمارة (غمارة ا.) واخر غمارة (غمارة ا.) بطوية ما يلى غساسة، ومعهم عوالم من صنهاجة ومطغرة واورية (اورية ا.) وغيرهم ويحيط به البحر الكبير من غربية والرومى من شمالية والجبال المتصاعدة المتكاثفة مثل درن من جهة القبلة وجبل تازى من جهة الشرق لانّ الجبال اكثر ما هى واكثف قرب البحار لما اقتضاه التكوين من ممانعة البحار بها فكانت جبال المغرب كذلك اكثر وكثر ساكنها من المصامدة فى الاغلب وقليل من صنهاجة وبقيت البسايط من المغرب مثل ارغار وتامسّنا وتادلا ودكالة اعتمرها الطواعن من البربر والعرب الطارين عليه من جشم ورياح فعض المغرب ساكنة من امم لا يُحصيهم الا خالقهم وصار كانه جزيرة او بلد واحد احاطت به الجبال والبحار وقاعدته لهذا العهد فاس وهى دار ملكه وبر فيه النهر العظيم المعروف بوادى امّ ربيع وهو نهر عظيم يمتنع عُبُورُه ايامَ الامطار لاتساعة وبعظم مدّه من البحر فينتهى الى سبعين ميلا او ما يقاربها ومصبّه فى البحر الكبير عند ازمور ومنبعه من جبال درن من فوهة كبيرة ينبَعُ منها هذا النهر ويتسافل الى بسيط المغرب وينبع منها ايضا نهر اخر وينحدر الى القبلة ويمرّ ببلاد درعة ذات النخل المخصوصة بنبات النيلج وصناعة استخراجة من شجرة وهى قصور ذات نخل موضوعة فى سفح جبل درن من اخره وبها يسمى هذا النهر وجاوزها الى ان يغوص فى الرمل قبلة بلاد السوس، واما نهر ملويّة اخر المغرب الاقصى فهو نهر عظيم منبعه من فوهة فى جبال قبلة تازى ويصبّ فى البحر الرومى عند غساسة وعليه كانت ديار مكناسة المعروفة بهم فى القديم ويسكنها لهذا العهد امم اخرى فى (من ا.) زناتة فى قصور منتظمة الى اعلا النهر يعرفون بوطاط وجاوزهم هنالك، وفى سايز نواحيه امم من البربر اشهر من فيهم بطاسة اخوة مكناسة، وينبع مع هذا النهر من فوهته نهر كبير ينحدر ذاهبا فى القبلة مُشرة بعض الشى ويقطع العرق على سمته الى

ان ينتهي الى نوده ثم بعدها الى لمنطيت ويسمّى لهذا العهد كبير وعليه قصور ثم يمرّ الى ان يصبّ فى القفار ويغوص فى رمالها وعلى موضع مغاصه قصور ذات نخل تسمى ركان وفى شرق نودة ما ورآ العرق قصور تسانيت من قصور الصحرا وفى شرق تسانيت الى ما يلى الجوف تبكورارين تنتهى الى ثلاثمائة او اكثر فى واد واحد منحدر من المغرب الى المشرق وفيها امم من قبايل زناتة، واما المغرب فهو فى الاغلب ديار زناتة كان لمغراوة وبنى نفرن (يفرن .l) وكان معهم مديونة ومغيلة وكومية ومطغرة وطماطة ثم صار من بعدهم لبنى ومانوا وبنوا (وبنى .l) بلوغ ثم صار لبنى عبد الواد وتوجين من بنى بادين وقاعدته لهذا العهد تلمسان وفى دار ملكه وحجاوزه من جهة الشرق بلاد صنهاجة من الجزاير والمتيجة والمدية وما يليها الى بجاية وقبايله كلهم لهذا العهد مقلبون للغرب من زغبة، وبير فيه وادى شلف بنى واطيل النهر الاعظم منبعة من جبل راشد فى بلاد الصحرا ويدخل الى التل من بلاد حصين لهذا العهد ثم يمر مغربا وتجتمع فيه ساير اودية المغرب الاوسط مثل منبا وغيره الى ان يصب فى البحر الرومى ما بين كلمنيتو ومستغانيم وينبع من فوقته نهر اخر يذهب مشرقا من جبل راشد ويمر بالزاب الى ان يصب فى سبخة ما بين توزر ونفراوة معروفه عندلك ويسمى هذا النهر وادى شدى، واما بلاد بجاية وقسنطينة فهى ديار زوارة وكتامة وتجيسة وهوارة وهى اليوم ديار للعرب الا ممتنع الجبال وفيها بقاياهم، واما افريقية كلها الى طرابلس فبسايط فيح كانت ديار البعزاوة وبنى نفرن (يفرن .l) ونفوسة وهوّارة ومن لا يحصر من قبايل البربر وكانت قاعدتها القيروان وهى لهذا العهد مجالات للعرب من سُليم وبنى نفرن (يفرن .l) وهوارة مغلبون تحت ايديهم قد تبدّوا معهم ونسوا رطانة الاعاجم وتكلموا بلغة العرب وتخلوا بشعارهم فى جميع احوالهم وقاعدتها

لهذا العهد تونس وهي دار ملكها ويمر فيها النهر الاعظم المعروف بوادي مجردة تجتمع فيه ساير الاودية بها ويصب في البحر الرومي على مرحلة من غربي تونس بموضع يعرف ببنزرت ، واما برقة فدرست معالمها وخربت امصارها وانقرض امرها وعادت مجالات للعرب بعد ان كانت ديار للوتة وغوّارة وغيرهم من البربر وكانت بها الامصار المستجرة مثل البدة وزويلة وبرقة وقصر حسّان وامثالها فعادت يبابا ومفاوز كان لم تكن ☆

"Fines Berberorum meridiem versus sunt arenæ horrendæ et exitiales [3]*), quæ, regiones Nigritarum* (السودان) *a sedibus Berberorum separantes, apud Arabes nomadas et campestres nomine El-A'rk* (العرق i. e. *collis arenosus)* [4]) *insigniuntur. A meridie hic a'rk sæpis modo Meghreb cingit, a mari inde Atlantico linea continua orientem versus ad Nilum usque procurrens, ubi fluvius ille a meridie veniens Aegyptum defluit; heic omnino evanescit. In latitudinem plus trium dierum itinere protenditur. Inter hunc A'rk et Meghreb Medium* (المغرب الاوسط) *jacet terra, quæ apud Arabes nomen obtinuit Djamidæ* [5]) (i. e. *terra dura) ob lapidosam suam naturam et a Duvein ineipiens ad regiones Zigh pertinet. Pone eam meridiem versus plures regiones, quæ, Djeridija (vel Belad el Djerid) adpellatæ et palmarum fluminumque copia abundantes, per totam longitudinem omnem sequuntur Meghreb, sicut Belad Luda (?) et Lementit* [6]) *a*

meridie Meghrebi el Aksa; Tesáblijet et Tieurarein a meridie Meghrebi el Avset; nec non Ghadámis, Kerán et Veddán a meridie Tripolis. Quorum tractuum unusquisque plus centum regiones seu loca continet exculta, pagis, palmis fluviisque abundantia. Ad hanc terram ꝛꝛ Ark meridionalem annis quibusdam pervenerunt agmina Populi Velaminis (Mulathimin, vide infra), *e Sanhádja oriundi, ibique sese convertentia in terras migrarunt Nigritarum; in septemtrionali autem ejus parte agmina Arabum campestrium, quæ in Meghreb vitam agunt nomadicam, jam habitant, ubi ante eos tribus vixerant Berberorum, ut postea narrabimus. Hi fere sunt fines Meghrebi meridiem versus. Sed sæpem etiam aliam quam illum A'rk Meghreb habet ex ea parte, ubi Telul adjacent; montes inquam, qui, a mari inde Atlantico in occidente ad Bernik (Berenicen) in regione Barkæ usque quo desinunt extensi, tractum Telul adadpellatum circumdant. Initium eorum ab occidente Montes Deren vocatur. Quod hos montes, Telul complectentes, et El-A'rk jam initio descriptum interjacet, e campis patentibus et sementi idoneis (?) consistit, quæ arbores præcipue gignunt, ejus vero regiones, quæ ad Telul pertinent, Belad el Djerid sunt palmis et fluviis abundantes. Sic in terra Sus, a meridie urbis Merrakesch, Tarudant e Eifri Funán sitæ sunt, aliæque terræ palmiferæ et aquo-*

sæ ac arvis consitis plurimis abundantes. A meridie Fasi jacet Tidjilmâsa ejusque pagi notissimi, et Dera', quæ etiam nota est. Tilimsâni a meridie Beld Fikîe cum multis oasibus [5]) palmiferis et aquosis invenimus. A meridie Taherrcti oases etiam sunt, regiones, quæ serie continua proxime Montem Râschid procedunt, palmis, arvis consitis et fluminibus abundant. Deinde sequitur Beld Varcli, Bidjajæ a meridie, regio continua terris excultis late patens et palmis dives. In ejus plaga Telul versus Belad Zigh jacent, trecentos comprehendentes pagos bene irrigatos et palmis abundantes, una serie ad ripas fluminis, ex occidente ad orientem defluentis, dispositos. Propius ad Telul sitæ sunt Belad el Zâb ab occidente ad orientem sese extendentes; quarum plus centum Zâb fluvius irrigat; omnes palmas, urbes, pagos et arva continent. Urbs princeps Biskera est eaque una maximarum Meghrebi urbium. Jam Tunesi a meridie Belad el Djerid habemus, e quarum numero sunt Nakta, Tuzer, Kafsa et Belad Nekzâva, quæ universæ uno nomine Kastilja continentur, et, locis excultis plenæ, domicilîis fixis bene instructæ, copia palmarum et aquæ gaudent. Post sequitur Kabes, a meridie Susæ sita, emporium et una Africæ urbium maxima, quondam sedes regia regni Ibn Ghanijæ, ut infra dicemus;

ea quoque palmas, fluvios et arva habet. A Tripoli meridiem versus Fezzân et Veddân occurrunt, oases numerosæ, palmiferæ et bene irrigatæ. Quæ terra prima fuit, quam in Afrika Muslimici occuparunt, ducibus Omaro ben el Khatâb et Amruo ben el A's. Excipiunt El Vahhât, a meridie Barkæ, quas in libro suo descripsit Mesu'di. Omnia quæ pone has regiones jam enumeratas jacent meridiem versus, deserta sunt et arenæ, in quibus neque semen crescit, nec pascua insunt, donec ad el A'rk illum jam laudatum veneris, pone quem diximus tribus Mulathimin desertum aqua carens usque ad Nigritarum regiones habitare. Inter has regiones palmiferas et montes, qui Telul circumdant, latissimi intercedunt campi, quorum natura, si ad aërem, aquam et plantas respexeris, ita variat, ut heic Teluli heic Deserti speciem præ se ferat. Ibi sita sunt Keirevân, Mons Evrâs, qui per transversum mediam regionem occupat, Belad el Khasba (i. e. regiones herbarum copia lætæ), ubi soli natura eadem est ac inter Zab et Telul, Mckra, Elmisîla, et Serseva, Tilimsani a meridie, ubi nunc Taherret jacet. Ibi etiam a Fâs meridiem versus Mons Deiru jacet, qui per transversum hos secat campos. Hactenus de terminis Meghrebi meridiem versus. — Quod ad fines orientales adtinet, ii varie constituuntur. In-

ter Geographos convenit, eos efficere Mare Kulzum, qui sinus maris Jemenensis ad septemtrionem progreditur, exigua declinatione ad occidentem facta, donec Kulzum et Suis adtingat: a Misr (Cairo) trium dierum iter in plaga orientali distat. Aegyptum itaque et Barkam Meghrebo adnumerant, quo fit, ut apud eos Meghreb sic describatur: insula est tribus maribus circumdata. Opinio autem his temporibus recepta ab omnibus, qui has terras incolunt, neque Aegyptum nec Barkam intra fines Meghrebi admittit. Sed Tripoli solum, et omnibus, quæ pone eam occidentem versus habitantur, regionibus, sicut Afrika, Zab, Meghreb el Avset, Meghreb el Aksa, Sus el Adna et Sus el Aksa, constituitur Meghreb secundum hujus ævi universam sententiam. Antiquitus hæ jam laudatæ terræ domicilia continuerunt Berberorum. Meghreb el Aksa inter Vadi Meluija ab oriente, et Asfi, emporium maris Atlantici, et Deren montem ab occidente, extenditur. Maximam hujus regionis partem occuparunt tribus Mesmûdæ, e populo montis Deren, Berghuata, Ghomara, cujus termini Tuvija in vicinitate Ghasasæ fuerunt. Inter eos haud pauci habitarunt e tribubus Sanhadja, Metghera, Eureba al. Hæc terra ita circumscribitur, ut sit ab occidente mare atlanticum finis,

mare mediterraneum a septemtrione, a ceteris partibus montes alti et spissi, sicut a meridie mons Deren et ab occidente Montes Tazi. Nam montes plurimi et maxime spissi prope ad maria sese quasi colligunt, quia rerum natura ita comparatum est, ut maria eos avceant. Itaque in Meghreb montes plurimi inveniuntur, quorum incolæ in primis sunt tribus Mesmâdae, pauci tantum Sanhadjitæ. Ceteri Meghrebi campi, Arghar, Tamesna, Tâdila, Ducala visitantur a nomadibus generis berberici et arabicis, qui heic supervenerunt e tribubus Djesm et Rejahh (?). De cetero Meghreb tantum comprehendit populorum numerum, ut nemo, nisi eorum creator, eos omnes cognoscat. Speciem insulæ vel regionis continuæ, montibus maribusque ab aliis separatæ, præbet, cujus caput hoc tempore est Fas, sedes regni, quam præterfluit Vadi Umm Rebía', fluvius magnus, qui tempore pluviæ adeo tumescit, ut trajici nequeat, quamquam circiter septuaginta milliaria a mari distet. E multis oribus in montibus Deren profectus in planitiem Meghrebi descendit, et in mare magnum (Atlanticum) ad urbem Azemmur sese exonerat. Ex iisdem montibus oritur fluvius etiam alius, qui, meridiem versus defluens, regiones transit Derae', quæ oases ad radices montis Deren sitæ, palmiferæ, maxime sunt memorabiles ob arborem indigofe-

ram ibi crescentem, et merces ex ea confectas. Flumen ab his regionibus nomen suum Dera' accepit, quas pertransit, donec in arenis a meridie regionum Sus evanescat. — Meluija flumen, quo Meghreb el Aksa terminatur, grande est, et, fontes in montibus a Tasi meridiem versus sitis habens, in mare mediterraneum ad Ghasasam defluit. Tribus Miknâsæ, unde nomen adhuc habet urbs Miknâsa, olim juxta hunc fluvium habitarunt; nostro autem tempore populus e Zenâta oriundus in oasibus, quæ ad superius flumen una serie pertinent et nomine Vetât insigniuntur, hunc incolit tractum, quem fluvius ille præterfluit. Ceteras regiones illi contiguas gentes incolunt berberieæ, præcipue Betalsa, qui fratres sunt Miknâsæ. Ex iisdem fontibus, ac flumen jam descriptum, aliud exoritur magnum, quod meridiem versus, inclinatione ad orientem paullulum facta descendens El A'rk secat, usque dum Ludam et deinde Lementit adtingat; hoc tempore Rebir (i. e. magnum) adpellatur, suasque habet oases. Postquam Lementit præterfluxit, in Desertum effunditur et eo loco sese demergit, ubi oases nomine Rekân cognitæ sitæ sunt. A Luda orientem versus ponc El A'rk jacent Tesanit oases, quæ ad Desertum pertinent. Quae, ab oriente harum oasium, usque ad planitiem Ticurarin plus trecenta milliaria longitudine

sese extendentes regiones, ad unum fluvium, ab occidente ad orientem fluentem, sitae sunt, eas tribus Zenatae incolunt. — Regio quae Meghreb el Adna vocatur a tribubus Zenatæ, sicut Mughrava et Beni Jefrun occupata est, quibus Medjúna, Mughîla, Cumija, Methgera et Metmâta se conjunxerant. Postea vero in possessionem venit aliarum tribuum, Beni Vemanva inquam et Beni Beluhi; et deinde Benu A'bd el Vad et Tudjin e Beni Badin eam occuparunt. Hoc ævo Tilimsân, sedes regia, ejus est caput, cui vicina erant orientem versus domicilia Sanhadjæ ad Eldjizair, Elmetidjam et Elmedijam et, quæ sequuntur usque ad Bidjajam, regiones. Nostris temporibus hæ tribus nuper ad occidentem sese converterunt. Vadi Schelf Beni Vatil, flumen amplum, a monte Râschid in Deserto sito proficiscens, heic præterfluit; quod, postquam eam partem regionis Telul, quæ jam terræ Belad Hhazin nuncupatæ adnumeratur, primum transiit, ad occidentem se inclinans, ceteris fluviis Meghrebi el Avset, sicut Menba al. in se receptis, inter Kelmenitu et Musteghânim in mare mediterraneum influit. Alius quoque fluvius Vadi Schedi adpellatus ex iisdem oritur scaturiginibus, qui, orientale montis Raschid latus initio sequens, Zab præterfluit, donec in terram salsuginosam, inter Tuzer et No-

frâvam notissimam, abeat. — Regiones Bidjajæ et Kusentinæ domicilia fecerunt Zevâvae, Ketamae, A'djîsae et Hevvârae, quae jam ab Arabibus incoluntur, montibus exceptis inaccessis, ubi harum tribuum reliquiæ adhuc vivunt. — Omnis Afrika usque ad Tripolin, quæ campos patentes et æquos tota continet, tribus Nekzâvæ, Beni Jefrun, Nefûsæ, Hevvaræ ceterasque Berberorum, quæ domos fixas non habebant, olim complexa est, et caput terræ fuit Keirevân; hodie autem hoic dominantur Arabes e tribu Suleim, quibus jam parent Beni Jefrun et Hevvâra ab iis devictæ, cum iis adeo commixtæ, ut linguam propriæm berbericam oblitæ arabicam nunc loquuntur; at in omnibus vitæ rationibus consuetudines servarunt antiquas. Sedes imperii regionisque caput nunc Tunis est, quam præterfluit Vadi Medjerda, flumen magnum, quod in se ceteros tractûs ammes recipit et in loco Benzert dicto, unius stationis iter a Tunis dissito, in mare mediterraneum incidit. — Barkæ monumenta jam sunt deleta, urbes destructæ et fortuna potentiaque plane eversa. Quæ quondam inhabitarunt tribus berbericæ Hevvâra, Levâta et aliæ, loca in Arabum potestatem redierunt. Habuit tamen olim etiam hæc terra urbes suas amplissimas, quarum Bedam, Zevilam, Barkam, Kasr Hhassân nominasse sat erit, ubi nunc omnia deserta jacent, quasi nullæ umquam ibi fuissent urbes."

In duobus sequentibus capitibus partim Berberorum præ aliis gentibus præstantiam [7]) laudibus tollit et mores breviter delineat, partim historiam variarum, et ante et post occupatam a Muslimicis Afrikam usque ad regnum Aghlebitarum, constitutum, in universum spectatam enarrat [8]). Divisionem tribuum supra laudatam sequens, deinde (a fol. LI) recensionem incipit harum omnium tribuum, adeoque hanc rem pertractat, ut in ramulos genealogiæ minimos penetret, et tabulis ubique genealogicis adjectis res gestas, reges et regna earum diligentissime describat. Familiis a Madghisch originem petentibus, *Butur* (بُتُر) etiam vocatis, recensitis, ad secundam (in fol. LXII) illam principalem gentem, quæ *Bernes* (برنس pl. برانس) adpellatur, describendam transit Ibn Khaldûn. Ex ejus tribubus *Sanhadjam* omnium frequentissimam et validissimam fuisse observat (fol. LXVIII). Ut narratio apertior fieret, hanc gentem in tres classes (طبقات) divisit, quarum primam et secundam eæ efficiunt tribus, quæ imperium aliquod condiderunt; in tertia autem eæ collocantur, quæ numquam regno constituendo inclaruerunt. *Belcâna*, quæ per *Badisitas*, *Beni Hhamad* cet. imperavit, primum ducit ordinem; secundum occupant eæ tribus Sanhadjæ, quæ nomine *Mulathhimin* (الملثمين i. e. *Velati*) insigniuntur (fol. LXXXI.). Caput, quod harum tri-

rabitos excitavit. "Vos," inquit, "concilium Murabitorum, magnam jam esse multitudinem sciatis, quae principes gentis vestrae et tribus duces continet. Deus jam vobis adeo benefecit, ut in viam rectam vos dirigeret. Itaque vestrum est, pro tanta gratia grates rite persolvere, id quod melius fieri non potest, quam si officium praedicantis apud homines rudes strenue administretis, et pro fide muslimica acerrime pugnetis." "Nobis modo impera, Doctor benedicte", illi responderunt, "quidquid tibi placuerit; nos dicto adeo audientes invenies, ut, si patrem matremve occidi jusseris, jussa haud mora exsequamur." Tum ille, "exite ergo, et, quod bene vertat, populum vestrum commonefacite, terrorem poenæ iis incutientes et testimonium Dei ad eos perferentes. Si resipuerint et, vitiis, quæ apud eos invaluerunt, relictis, ad bonam frugem redierint, eos mittite. Sin recusent quæ jusseritis facere, et, in errore suo permanentes, rebellioni contra Deum pertinaciter adhæserint, Dei auxilium adversus eos invocabimus et, donec Is, qui optimus est judex, nos inter dijudicaverit, utri parti victoria detur, eos strenue debellabimus." Quibus dictis Murabiti parentes, singuli ad gentem suam reverterunt, ibique homines sedulo monuerunt et hortati sunt, ne ea, quæ legi divinæ contraria essent, ulterius committerent.

Sed nemo vocationi huic paruit, vel ullam ostendit poenitentiam. His auditis, A'bd allah ben Jasin ipse iter ad eos instituit, et, principibus tribuum earumque ducibus convocatis, testimonium Dei prælegit, eosque de resipiscentia adpellans, supplicium præfractos manens intentavit. Postquam septem dies, tanta enim erat ejus clementia, monendo ita continuaverat, neminem vero ad verba sua animum adtendentem, sed potius in pejus indies ruentem invenerat; omnia mitioris generis tentamina vana esse intelligens, a minis et hortationibus fatigatus destitit. Aliam viam ingrediendam jam statuit, et comites sic adlocutus „nihil", inquit, „negleximus, quod ad hanc gentem convertendam sufficeret: testimonium Dei iis detulimus, et monita et minas abundanter adhibuimus. At nequidquam operam dedimus. Nil amplius restat, nisi bellum, quod, benedictione divina adjuti, contra eos feliciter, ut spero, geremus." Primam, quam adgrediebatur A'bd allah tribum Gedâlam, ter mille Murabitorum armatorum manu instructus, fugavit et magnam fugientium edidit stragem; reliquis, qui Islamismum denuo profitebantur, conditio bona facta est, et ii omnia quae injungebantur officia strenue persolverunt. Hae res mense Sefer Anno CCCCXXXIV (p. Chr. n. Septembr. MXLII) gestae sunt. Deinde Lemtûnam adortus est, quam, donec eam subjugaret, acriter

impugnavit. Caesa tandem et fugata A'bd allaho ea quoque sese subjecit, poenitentiam vitae anteactae palam professa. Ea conditione in fidem eam accepit A'bd allah, ut Koranum et Sunnam sancte observaret. Jam Mesûfam bello petiit, quae, eadem passa, easdem leges sibi imponi ferre coacta est, ac antea Lemtûna et Gedâla. Ceterae Sanhâdjae tribus quum viderent, quanta fortuna Murabitorum arma prosequeretur, summam prae se tulerunt poenitentiam, et fidem atque obedientiam perfectam praestiterunt. Hominibus, qui itaque resipiscentes ad A'bd allahum convenerunt, primum omnium centum plagas, eos purificandi caussa, scutica incussit, et deinde iis ita purificatis Koranum et praecepta Islamismi exposuit. Praeter preces, e ritu muslimico observandas, devictis tributum etiam imperavit, quod nomine eleemosynae omnisque proventûs decimarum quotannis erat pendendum. Eam ob caussam thesaurum instituit publicum, in quem omne conferrent tributum, unde mox copiis suis jumenta et arma conquirere coepit. Eodem successu gentes, quae nondum erant subjugatae, Berberorum deinceps invasit, ita ut totam Deserti regionem una cum incolis ejus universis suo subjiceret imperio. Spolia in tot ac tantis bellis caesorum collecta Murabitis praedam dispertiit. Magnam partem decimarum, eleemosynae et tributi, partis quintae nomine no-

ti, in terram misit Mesmâdae, ut illius regionis doctorum discipuli et judices inde caperent aliquam utilitatem. Fama Murabitorum per universum Desertum, regiones Afrikae meridionales, terram Mesmâdae et reliquum Meghreb longe lateque brevi diffusa est. Narrabant ubique, virum inter Gedalenses exstitisse, qui homines ad Deum et viâ rectâ incedendum vocaret. Eum secundum Korani effata jus dicere. Nihilominus summae esse modestiae et temperantiae. Haec omnia inde in terras Nigritarum etiam propagata sunt.

Mortuo Jahia ben Ibrahim Gedalensi, alium Murabitis praeficere voluit A'bd allah, quem in bellis ducem praecipue haberent. Quum tribus Lemtûna prae ceteris Sanhâdjae tribubus obedientiam erga Deum, pietatem summam moresque legi divinae consentaneos semper ostendisset, ideoque tantam gratiam apud A'bd allahum iniisset, ut eam aliis gentibus praeferret et maximo adficeret honore, non diu haesitavit ille, unde virum quaereret huic loco idoneum. Si consideraveris, Deum jam decrevisse, Lemtûnam gentem mox omnem Meghreb et Hispaniam esse occupaturam; A'bd allahum, Lemtûnam aliis antehabendo nihil aliud egisse facile invenies, quam ut Dei decretum exsequeretur. Convocatis igitur tribuum Sanhâdjae principi-

bus, *Jahiam ben O'mar Lemtunensem* praefecit, et Emirum in universos renuntiavit. Sed quamvis Jahia ben O'mar ita titulum emiri et ducis speciem portaret, A'bd allah tamen regis partes ipse sustinuit, quia solus jussit et vetuit, dona dedit et accepit. Praefecturâ tantum militari Jahiae concessâ, ipse omnia, quae religionem vel judicium exercendum spectarent, sibi reservavit et tributum quintae decimaeque partis percepit.

Historia Emiri Jahiæ ben O'mar ben Telakakin Sanhadjitæ e Lemtûna oriundi.

Abu Zakaria Jahiae ben O'mar Lemtunensi Murabito, qui vir fuit magnæ pietatis, excellentis ingenii, neque minus abstinentiæ, temperantiæ et integritatis laude ornatus, universis Murabitis ita praefecto, officium sacri belli adversus infideles A'bd allah praecipue injunxit. Huic ille adeo fuit submissus, ut in omnibus, sive aliquid juberet, sive vetaret, simpliciter ei morem gereret. Cujus rei unum idque evidentissum exemplum adferre placet. Aliquando ei A'bd allah, „tibi," inquit, „o Jahia, correctione opus est." Jahia, „quamobrem", respondit „ita sentias, mihi explices rogo." „Caussam" inquit A'bd allah, „non

ante tecum communicabo, quam a me fueris correctus.“ Et simul cum dictis posticis ejus partibus denudatis viginti plagas scuticâ inflixit. Quo facto „Ideo“ dixit A'bd allah „te verberavi, quod tu, quî dux sis exercitûs, pugnam obire et pugnantibus te immiscere solitus es. Scias enim, hoc esse maximum in imperatore vitium, qui numquam manus conserere ipse debet, sed, suo loco manens, milites tantum incitare et confirmare animos dejectos. Vita ducis, exercitus vita; et si acciderit, ut moriatur ille, copiae etiam caedentur.“

Totam Deserti regionem Jahia jam occupavit, belloque in fines Nigritarum deinde translato, horum etiam terrae magna parte potitus est. Aliam arma proferendi occasionem mox nactus est. Nam anno CCCCXLVII (p. Chr. n. $ML\frac{V}{VI}$) Jurisconsulti virique sancti, qui Sidjilmâsam et Dera'm ac regiones his urbibus propinquas habitabant, in unum convenerunt, et litteris ad A'bd allahum ben Jasin et Jahiam ben O'mar nec non principes Murabitorum datis, eos in terram suam evocarunt, opem eorum implorantes contra foedissima, quae ibi perpetrabantur, injustitiae et violentiae facinora. Inprimis Mesu'dii ben Vanudin Zenatensis, e gente Mughrâva oriundi, regis tyrannidem adcu-

sarunt, qui viros doctos atque religiosos et ceteros Muslimos omni generi opprobrii, ignominiae et injuriae continue exposuit. A'bd allah ben Jasin, epistola ei adlata, principes convocavit Murabitorum, quos, postquam eam recitaverat, consuluit, quid agendum esse censerent. Quae ab iis petiverant Jurisconsulti, ea maximae esse necessitatis, unanimi consensu responderunt, et iis officiis, quae et omnibus Murabitis et ipsi duci erant imperata, adnumeranda. Quare eum rogarunt, vellet exercitum, divinae commendatum tutelae, se duce in certamen educere. Bello igitur indicto, vigesima die mensis Sefer anno CCCCXLVII (p. Chr. n. die XVII Maji MLV) cum magno Murabitorum exercitu Der'am profectus est, ubi praefectum Mesu'dii Mughravensis, regis Sidjilmâsae, oppressum ex urbe ejecit; quinquaginta quoque millia camelorum, in pascuis circa urbem pascentium, qui eidem Mesu'dio erant, fortuna adjutus praedam cepit. Quae omnia quum ad Mesu'dium essent perlata, copias haud mora coëgit et in pugnam duxit. Agmina concurrunt; diu vehementer pugnatum est. Victoriam tandem Deus ter optimus maximus Murabitis concessit. Mesu'di ipse in proelio occiditur et cum eo major exercitûs pars cadit; reliqui terga vertunt. Praedam ingentem bonorum, jumentorum armorumque captam in unum

cum camelis ad Dera'm raptis collatam, postquam ex ea quintam partem, Jurisconsultis sanctisque viris Sidjilmâsae et Derae' destinatam, exemerat Murabitis omnino distribuit A'bd allah, et castris motis, statim Sidjilmâsam tetendit. Omnibus, quos in urbe invenit, Mughravensibus ferro exstinctis, ut militibus quietem aliquam redderet remque publicam hujus regionis in bonum redigeret ordinem, aliquamdiu ibi commoratus est. Omnia, quae legi divinae contraria deprehenderat, heic mutavit: instrumenta musica confringebat, cauponas cremabat, et tributum omne aut vectigal novum contra jus exactum antiquabat. Neque aliud quidquam, quam quod Koranus et Sunna juberent, constare passus est. His omnibus bene peractis et Lemtunensi quodam urbi praefecto, inde A'bd allah in Desertum abiit.

Abu Zakaria Jahia ben O'mar, dum adversus Nigritas pugnabat, in pugna, mense Muhharremi anno CCCCXLVIII (p. Chr. n. MLVI) morte occubuit, cujus in locum fratrem Abu Beerum ben O'mar Lemtunensem A'bd allah ben Jasin suffecit.

Historia regni Abu Becri ben O'mar Lemtunensis, ducis Murabitorum.

Mortuo Jahia ben O'mar, fratrem, ut ante dictum est, Abu Becrum ben O'mar, qui vir fuit pius et valde abstinens, A'bd allah ben Jasin suffecit atque munus belli gerendi tradidit. Murabitos ille instigavit, ut terram tribûs Mesmâdæ et Belad el Sus adgrederentur, et maximis instructus copiis, mense Rebi' secundo, anno CCCCXLVIII (p. Chr. nat. mense Junii MLVI) profectus est. Patruele suo, Jusufo ben Teschfin, primo agmini præfecto, Abu Becr ad Belad el Sus usque progressus, regiones Guzûlæ invasit, et urbibus Massa et Tarudant captis, omnem terram Sus occupavit. Tarudanti sedem fixerant homines Rafeditæ, qui ex nomine viri cujusdam, sectæ eorum auctoris, A'lii ben A'bd allah Bedjilensis, Bedjilenses sese vocarunt. Qui A'li, dum O'beid allah Schii'ta in Afrika imperium gessit, Sus petierat, ubi falsa ista doctrina late sese propagavit. Post ejus mortem ætates sequentes jure quasi hereditario errores istos acceperunt, et nihil justum, nisi quod ipsi putarent, umquam habuerunt. Tanta vi eos jam adorti sunt Abu Becr et A'bd allah ben Jasin, ut urbem ceperint, et magnum Rafeditarum numerum occide-

rint. Reliqui ad veram fidem reverterunt; opes cæsorum prædam Murabitis A'bd allah dedit. Ita Deus potentiam Murabitorum conspicuam reddidit et evexit potestatem; omnia castella in Belad el Sus sita expugnarunt, et universas hujus regionis tribus suo subjecerunt imperio. Præfectos in propinquas provincias A'bd allah ben Jasin delegavit, quibus imperavit, justitiam ibi tueri, legem prophetæ indicere, et eleemosynam decimasque percipere, omne autem novum tributum contra legem exactum, antiquare. Deinde castris motis in regiones Mesmâdæ copias duxit, montes Deren et terram Reudæ occupavit ac Schafschâvam urbem vi cepit. Nefis ceterisque Gedmuiæ regionibus imperio adjectis, tribus Regrâgæ el Hhahhæ ad eum, ut sacramentum dicerent, suâ sponte devenerunt. Urbem Aghmât, quam Lekût ben Jusuf ben A'li Mughravensis tenebat, jam petiit eamque obsidione cinxit. Lekût et obsidione pressus et pugnis continuis exhaustus quum videret, se nullam tanto impetui resistendi potentiam habere, urbe tradita, clam noctu fugâ salutem quærens, cum universa sua familia in regionem Tadilæ festinavit. Eam hoc tempore Benu Jefrun occupaverant, et fidei eorum ille se jam totum commisit. Murabiti autem urbem relictam intrarunt. Quæ res anno CCCCXLIX (p.

Chr. n. ML$\frac{VII}{VIII}$) gestæ sunt. Ut exercitus vires reficeret, A'bd allah ben Jasin duos fere menses in hac urbe substitit. Tadilam jam adgressus est; urbe capta, omnes Beni Jefrun ibi inventos trucidavit. Lekût etiam captum neci tradidit. Inde regionem Tamesnæ invasit, et eadem usus fortuna eam statim occupavit. Dum hcic mansit, nuntius ei datur, varias Berghuâtæ tribus valde numerosas, cultui idolorum et erroribus nefandis addictas, oras hujus terræ maritimas habitare. Quæ res novam belli proferendi caussam ei præbuit.

Historia belli, contra paganos e tribu Berghuâta ab A'bd allaho ben Jasin gesti, hujusque sectæ stultissimæ et cultûs ignobilis descriptio.

Abu A'bd allaho, Tamesnam quum advenisset, nuntiatum est, populum innumerum tribuum, quibus nomen erat commune Berghuâta, has oras maritimas incolere; eos idololatriæ addictos, erroribus foedissimis immersos, infidelitati tenaciter adhærere. Tribus esse, quæ, quamvis idem haberent nomen, cognatione non ita essent conjunctæ, ut ad unum patrem matremque unam referrent origi-

nem; sed ex diversis et inter se mixtis populis berberici generis plures familias Salihho ben Tarif sese conjunxisse. Eum fuisse virum, qui, regnante Hheschâmo ben A'bd el Melic ben Mervân, prophetam se jactitans Tamesnæ sedem fixerat. Quum e Bernât, castello prope Sidoniam in Hispania sito, originem duceret, adseclas ejus se primum Bernatenses adpellasse; postea vero Arabes, nomine ad linguæ suæ genium reficto, eos Berghuatenses dixisse. Talem denominationis caussam fuisse narraverunt. De ipso Salihho ben Tarif hæc habemus. Parentibus judaicis, e tribu Simeonis filii Jakubi, natus, semper morum turpitudine fuit notatus. Postquam in castello Bernat prima eruditionis rudimenta acceperat, iter ad orientem suscepit, ibique apud O'beid allahum, qui doctrinas Mu'tazilitarum Kadaritarum [7]) profitebatur, litteras didicit, et in Magia inprimis operam suam collocans, ejus scientiæ varia genera ab eo obtinuit. Ad occidentem reversus et sede prope Tamesnam fixa, tribubus Berberorum, quas omnino rudes heic offendit, Islamismum, a rebus illicitis abstinentiam et pietatem ita exponere coepit, ut in animos hominum alte penetrans, quum aliis incantamentis, tum eloquentiæ vi eos ad se adliceret. Sermonibus fucatis et orationibus versatilibus deceptos adeo seduxit, ut virtuti ejus simpliciter

confidentes conjunctionem cum Deo proximam in eo agnoverint. Quare commoti cum sibi præfecerunt nec ullam rem, nisi quum consilium ejus ante audivissent, unquam peregerunt, sed nutu illius sive jubentis sive vetantis, omnia gesta sunt. Hinc tantam ille concepit arrogantiam, ut munus propheticum sibi vindicare et nomen Salihh el Mumenin recipere ausus sit, dictitans: ego ille Salihh sum, de quo Deus in libro ad Muhhamedem demisso loquitur [8]). Doctrinam, quam veram religionem iis colendam proposuit ab eo acceperunt. Et hæc anno CXXV (p. Chr. n. DCCXLIII) facta sunt. Capita hujus erroris præcipua hæc fuerunt. Primum omnium, ut cum prophetam crederent, jussit. Jejunium solenne mense Redjeb erat observandum, mense autem Ramedhani edendum; numerum precum ad decem evexit, singulis diebus peragendas, quarum quinque noctu, et interdiu quinque erant dicendæ. Cuique fideli sacrificium solenne quaque prima et vigesima Muhharremi die erat faciendum. In ablutionibus etiam ritum mutavit, umbilicum et latera lavanda indicens. Preces eorum vitiosæ sunt, quum precantes non adorent; sed in fine cujusque Rekæ' (corporis inclinationis) caput quinquies ad terram inclinant. Quando cibum aut potum sumerent, *no-*

mine Jakes [9]) eos clamare jussit, quam vocem *nomine Dei* significare creditur. Decimas e fructibus omnis generis erant pendendæ. Viro tot ducere uxores, quot illi placuerint, neptibus tamen omnino exceptis, licuit. Neque lege fuit defensum, quin uxorem repudiaret vel repudiatam ad se reciperet, quotiescumque vellet maritus, etiamsi millies eodem die id repeteret; neque femina menstruis laborans iis fuit interdicta. Furem, ubi primum inveniretur, occidi jussit, autumans, nil, nisi mortem peccatum ejus expiare posse. Sanguinis lytrum bobus esse pendendum statuit. Caput animalis cujuscumque tamquam foedum, et gallinas, tamquam rem abominandam, edere vetuit: galli enim cantu horas suas definiunt, ideoque eum mactare et edere æque improbum habendum; si quis contra fecerit, servum manumittere, criminis luendi caussa, tenebitur. Sputum dominorum lingere benedictionis inde captandæ caussa, iis imperavit. Ipse manus eorum conspuit, quas eandem ob rem linxerunt et sputum ad ægrotos quoque portarunt, ut eo sumto ad sanitatem redirent. Koranum denique divinitus inspiratum et a Deo ter optimo maximo ad se demissum iis proposuit, quo in precibus recitandis uterentur quemque in templis explicarent; cui si quis fidem denegaverit, infidelis esset habendus. In octoginta capita hunc

diviserat Koranum, et ea nominibus prophetarum inscripserat; e. c. hæc adferam: Suram Adami, Suram Noæ, Suram Jobi, Suram Jonæ, Suram Mosis, Suram Aronis, Suram tribuum duodecim, Suram Pharaonis, Suram filiorum Israëlis, Suram galli, Suram cameli, Suram locustæ, Suram Haruti et Maruti, Suram Iblisi, Suram judicii extremi, Suram miraculorum mundi. In hoc libro summa scientia, ut crediderunt, posita est. Post pollutionem ablutionem haud necessariam judicavit, sed tantum si ea crimini fuerit conjuncta. — Si quis cupiverit expositionem absolutam de Berghuâta ejusque regibus, eam in libro nostro majore, *Flos horti de historia temporis et narratio de rebus, quæ exstiterunt*, inscripto inveniet.

Quæ omnia quum audivisset A'bd allah ben Jasin, conditionem Berghuâtæ, ob errores quos amplexa fuerat nefandos, periculi plenam judicans, eam præ ceteris tribubus adgredi necessarium duxit et cum exercitu Murabitorum eo profectus est. Hoc tempore dux Berghuâtæ fuit Abu Hhafs ben A'bd allah ben Abi Ansâri ben Abi O'beid Muhhamed ben Mukallid ben Eljesa' ben Salihh ben Tarif Berghuatensis (qui idem fuit Salihh ac ille, qui, prophetam sese jactitans, originem sectæ dederat). Certaminibus magnæ stragis pugnisque cruentis inter hunc ducem et A'bd alla-

hum ben Jasin editis, in quibus ex utraque parte multi sunt occisi, A'bd allah tandem ipse Murabitorum director et caput, vulneribus gravis, pro religione pugnans, mortem occubuit gloriosam. Quem quum ad castra transferrent, spiritum vitæ adhuc superstitem in eo invenerunt; et senioribus principibusque Murabitorum convocatis sic vale dixit: "Qui vester, concilium Murabitorum," inquit, "status jam sit bene perpendite. Vos in terra hostium estis, et ego quidem hoc ipso die certo certius moriar. Ne igitur animos despondeatis, neque ignavos vos præbeatis, quæso, strenue cavete. Sic enim fieri potest, ut imperium vestrum et bona, qua adhuc usi estis, fortuna abeat. Conjunctione vero intima vos invicem consociate, ad auxilium veritati ferendum semper paratos, et fratrum more sincerorum in Deo unitos. In primis ut omnem dissensionem et invidiam propter summæ auctoritatis adfectationem evitetis, vos oro atque obsecro: vanæ enim sunt istæ discordiæ, quia "Deus regno pro lubitu suo hominem donat, eumque, quem e servis suis maxime amat, vicarium suum in terra constituit." Quum statim a vobis discessero, circumspicite etiam, quem vestrum vobis præficiatis idoneum, qui exercitum ducat, hostes vestros bello strenue persequatur, prædam ex æquo vos inter dividat et eleemosynas decimasque

rite percipiat." Unanimi consensu Abu Becrum ben O'mar Lemtunensem hoc belli munere dignum Murabiti declararunt, quem itaque A'bd allah ben Jasin, omnibus Sanhâdjæ principibus rem adprobantibus, ducem eorum renuntiavit. Vespertina ejusdem dici hora, quæ dies erat solis et vigesima quarta mensis Djumâdæ primi anno CCCCLI (p. Chr. nat. IV Novembr. MLIX) A'bd allah ben Jasin mortuus est et loco Tamesnæ sito Kerifla adpellato sepultus, ubi super sepulcrum templum ædificarunt.

Fuit ille A'bd allah ben Jasin eximiæ abstinentiæ, sive cibum sive potum respexeris. Omni, quo inter Murabitos vixerat, tempore numquam carnem ederat nec lac biberat; nam pecora eorum, propter summam populi ignorantiam fastidium ei moverant. Sed venatio nutrimentum illi præbuit. Alio vero respectu parum temperantiæ præ se tulit. Tantum enim libidini indulsit, ut mense unoquoque plures duceret feminas et dimitteret, nec prius fama pulchræ puellæ ad eum pervenerat, quam eam in matrimonium peteret; in dote vero pendenda numquam quatuor Mithkal excessit. Ex opibus mixtis tertiam retinuit partem, quod, ut dicebat, jurisconsulto licuit. — Exempla quædam, testimoniis spectatorum comprobata quum hujus

viri præstantiæ eximiæ, tum sanctitatis et benedictionis, quam preces illius effecerunt, jam proferamus. Murabiti, narrant, quum aliquando, ut Nigritas infideles bello sacro peterent, cum eo exiissent, ob aquæ penuriam siti pæne perierunt. Præsto autem fuit A'bd allah ben Jasin et, postquam ablutionem sacram pulvere peregerat, duas Reka's precatus, a Deo ter optimo maximo auxilium imploravit. Quia precibus ejus maxime confidebant homines, animos eorum statim placavit et finita imploratione jussit, terram eo loco, ubi preces fuderat, effodi. Quo facto, spithamæ intervallo, aquam dulcem et frigidam invenerunt, qua et sitim exstinxerunt et utres replerunt. Aliud sanctitatis summae indicium fuit, quod ranae circa eum consistere numquam potuerint, nisi coaxatione et strepitu intermisso. Quare, ubi A'bd allah ad locum, in quo ranae delitescebant, propius accessit, statim conticuerunt; quando autem inde ille abiit, illico coaxationem instaurarunt. Inde a primo tempore, quo has regiones intraverat A'bd allah, ad mortem usque jejunium strictissime observare numquam desierat. Magnam ideo gubernatio illius harum gentium meretur laudem, quod apud eas et Sunnam et sextae hebdomadis dici observationem brevi introduxit; quibus officiis ut melius satisfacerent, poenas unicuique, qui contra fecerit, ita statuit, ut is, qui dici sextae preces celebrare intermisisset, vigin-

ti, qui vero Reka'm unam in his precibus dicendis omisisset, quinque plagis scuticâ caedendus esset.

Historia regni Emiri Abu becri ben O'mar Sanhadjitae e gente Lemtûna oriundi.

Emirus Abu Becr ben O'mar ben Telacakin ben Vajaktin Lemtunensis e gente Muhammedija dicta, matrem habuit liberam Gedalensem, cui nomen fuit Safija. Quem quum A'bd allah ben Jasin Murabitis præfecisset, primum Sanhâdja et deinde aliæ Murabitorum tribus sacramentum ei dixerunt, et ita in regno stabilitus est. Prima ejus cura fuit in A'bd allaho rite sepeliendo; qua functus exercitum disposuit et, in omnibus rebus divino confidens auxilio, summa virium contentione Berghuâtam ita adgressus est, ut hunc populum plane eradicaret. Fugientes persecutus magnam edidit stragem multosque duxit captivos, et victor rediit. Berghuâta quoquo versus dissipata se ei subjicere cupiens, denuo fidem Muslimicam professa est; neque his temporibus vestigium erroris hujus nefandi inveniri potest. Opibus devictorum et pecudibus collectis et inter Murabitos divisis, ad urbem Aghmât Abu Becr revertit et heic ad mensem Sefer anni CCCCLII (p. Chr. nat.

Februar. — Mart. MLX) constitit. Copiis fere innumeris e tribubus Sanhâdja, Guzûla et Mesmâda collectis ad occidentem perrexit, ibique, post terram Fezâz occupatam ejusque regiones montanas expugnatas, ceteros quoque tractus Zenâtæ atque urbes Miknâsæ in suam redegit potestatem. Inde contra urbem Levâtæ se convertit, quam corona cinctam mox vi cepit. Multi Benu Jefrun heic occisi sunt. Ultima die mensis Rebiæ' secundi anno jam dicto urbem intravit Abu Becr adeoque vastavit, ut numquam ex illa clade sese erigeret; ad nostra enim usque tempora inculta et deserta jacet. Terra Levâtæ ita occupata, iterum ad urbem Aghmât rediit. Uxorem heic duxerat filiam Ishhaki Hevvarîtæ mercatoris cujusdam Keirevano oriundi, Zeineb cognominatam, quæ femina fuit magnæ intelligentiæ animique prudentiæ, neque minus habuit consilii, rationis ac sagacitatis et rerum gerendarum scientiæ; quam ob caussam *Incantatrix* vulgo adpellata est. Tres circiter menses apud eam jam Abu Becr degit, donec e regione meridionali nuntius ad eum perveniret, exponens quam miser et confusus status esset Deserti. Emirus, qui vir fuit probus et Dei cultui intime addictus, cædem fidelium et sanguinis effusionem inultam ferre non potuit, sed in Desertum profisisci, ut res ejus in ordinem cogeret et Ni-

gritas fidei Muslimicæ alienos bello invaderet, statim decrevit. Quum vero in eo esset, ut iter ingrederetur, Zeineb uxorem primum dimisit et discessurus eam sic adlocutus est. "Te, o Zeineb" inquit "mihi videnti tanta supereminente pulchritudine et venustate præditam, animum subit, quod forsan in itinere ad Desertum jam suscipiendo et in bello contra hostes Dei sustinendo, Deus mihi præfiniverit, vitam morte præclara commutare præmioque felicitatis fidelibus proposito amplissimo ita frui. Ceterum tua corporis crassities labores ejusmodi itineris in illis regionibus molestioris tentare te vetat. Quam ob caussam te jam dimitto. At rogo velis, tempore lege constituto finito, Jusufo ben Taschfin patrueli meo nubere, quem vicarium meum in Meghreb constituo." Uxore ita repudiata, urbem Aghmât relinquit et regione Tadila peragrata, Sidjilmâsam venit, ubi aliquot dies, reipublicæ ordinandæ caussa, substitit. Castra inde moturus Abu Becr, Jusufum ben Taschfin patruelem ad se vocatum imperatorem totius Meghrebi creavit et arbitrio ejus regnum suum commisit. Conventum est, ut Jusuf, ad Mughrâvam, Beni Jefrun, tribus Berberorum et Zenatæ debellandas, reverteretur. Principes Murabitorum, quum quæ in Jusufo inhabitabant virtutes, optime cognoscerent, agendi rationi.

Abu Becri consenserunt. Jusuf enim pietate, animi excellentia, fortitudine, mente constante et animosa excelluit, neque justitiæ, temperantiæ firmique consilii laude, nec felicis ingenii acumine caruit. Hic igitur cum dimidio Murabitorum exercitu Meghreb petiit, Abu Beer autem ben O'mar ceteras copias in Desertum duxit, mense Dhu'l Ka'da anno CCCCLIII (p. Chr. nat. Novembr. MLXI). Deinde Zeineb uxorem duxit Jusuf et ea regnum administravit omnesque res pulcherrima gubernandi ratione ita ad mortem usque, anno CCCCLXIV (p. Chr. n. MLXX$\frac{I}{II}$), gessit, ut major Meghrebi pars potestati Jusufi subjiceretur.

Emirus Abu Beer in Desertum profectus, tranquillitatem terræ restituit et res omnes in bonum redegit ordinem. Multis copiis conscriptis, deinde regiones Nigritarum adgressus, ea fortuna usus est, ut terram in trium mensium itineris longitudinem porrectam brevi occuparet. — Interea Jusuf ben Taschfin vitam inertem non egit. Maxima enim Meghrebi parte expugnata, imperium suum ibi stabiliverat. Quæ quum audivisset Abu Beer, vastitatem imperii, quod sibi paraverat Jusuf in Meghreb, metu conspiciens, cum prævertere consultum habuit et e Deserto exiens, ut Jusufum ex imperio tolleret aliumque

in ejus locum sufficeret, propius accessit. Fama vero adventûs Abu Becri mox ad Jusufum perlata est, et consilio de ea re cum uxore habito, ea hanc viam ingrediendam censuit. "Patruelem tuum," inquit "hominem probum mitisque ingenii et a sanguine effundendo maxime abhorrentem esse, optime tibi notum est. Quum igitur obviam ei iveris, primum omnium honoris et submissionis omitte speciem, cui ante fuerit adsuetus. Sed, quasi ejus æqualis vel adversarius esses, te potius contumacem præbeas. Nihilominus tamen muneribus varii generis, sicut pecoribus, palliis, vestibus, edulibus et tentoriis coriaceis tecum adlatis, comitatem erga eum monstrare haud a re erit. Hæc enim omnia summi ille æstimabit, utpote qui vitam in deserto agat, ubi quæcumque a nobis advenerint res, raræ et caræ necessario habeantur." Consilio Zeinebi comprobato, quum Abu Becr ben O'mar a provincia Jusufi non multum abesset, hic illi obviam profectus est et in via uterque congressi sunt. Jusuf Emirum salutaturus, non, ut mos fert, ex equo descendit, sed eo vectus, omnibus omissis ambagibus, salutem dixit. Numeroso, quo erat stipatus Jusuf, exercitu viso, Abu Becr eum interrogavit, quid sibi vellent tantæ copiæ. "Auxilio," respondit Jusuf, "mihi erunt adversus omnes, qui me hostiliter adgressi

fuerint." Et hocce responsum et salutandi modus parum submissus suspensum tenuit Abu Becrum, quid de consiliis Jusufi crederet. Deinde mille jumentis onustis, quæ adpropinquabant, conspectis, iterum quæsivit, quid significarent isti cameli. "Ad te, O Emire," ille dixit "equidem venio dona, quæ vides, adferens, pecudes, vestes, edulia et pelles, quibus contra deserti inopiam te defendas." His dictis omnino persuasus est Abu Becr, Jusufum nullo modo separationem intendere, et, "O Jusufe," ei dixit, "ex equo descendas; nam animus me movet, te ex testamento heredem meum constituere." Postquam ambo descenderant, et stragulo subjecto consederant, Abu Becr sic Jusufum adlocutus est. "Imperium hocce jam tibi committo, quod meæ curæ huc usque traditum fuit et de quo coram Deo olim ratio est a me reddenda. At memento, Deum in omnibus quæ ad fideles spectant, vereri; ut, præceptis Ejus satis faciens, meam et tuam ipsius animam salvam facias. Neque ullam subditorum rem perdas, memoria bene tenens, te Deo rationem actorum reddere debere. Deum ter optimum maximum ferventissime oro, ut te integrum servet, viribus instruat idoneis et ad res tuas bene peragendas justitiamque erga subditos rite exercendam secundet; nam Is, respectu et ad te et ad illos habito, ve-

rus meus vicarius erit." Simul cum dictis Jusufo vale dixit et in desertum reversus est, ubi Nigritas infideles debellando continue intentus, imperium ad Montes auri in horum regione extendit et vitam egit longam, donec mense Scha'ban anno CCCCLXXX (p. Chr. nat. Octob. MLXXXVIII) in pugna quadam sagitta saucius venenata, mortem pro religione occumberet gloriosam. Abu Becro mortuo, res omnis Jusufo ben Taschfin cessit.

ADNOTATIONES.

1) Cod. Musei Britannici fol. XC. Veli el din Abu Zeid A'bd el Rahhmân ibn Schems el din Abu A'bd allah ibn Khaldûn Hhadhremi, Tunesi natus est prima die mensis Ramadhâni anno DCCXXXII (p. Chr. nat. VI Maji MCCCXXXII), et, post varia fata, quum munus summi judicis Kahiræ tertium susciperet, ibi die XXV mensis Ramadhâni anno DCCCVIII (p. Chr. nat. XVI Jun. MCCCCV) obiit. Cfr. in primis *S. de Sacy*, Chrest. Arabe, ed. 2:dæ Tom. I. p. 390 et sqq.

2) Vid. *Journal de Savans*, 1838, Julii mensis vol., articulum, qui inscribitur: *Observations sur les Numides, par E. Quatremère.*

3) Schehâb el din Ahhmed el Mukri Fezanus, qui librum كتاب المجان فى مختصر اخبار الزمان i. e. *Liber Margaritarum de compendio Historiæ temporum* inscriptum circa annum DCCCLVII (p. Chr. n. MDL) composuit, Historiam universalem narraturus, multa quoque de Berberis adtulit, ad quæ infra recurremus, Manuscriptum Regiæ Bibl. Parisiensis N:o DCXVI signatum usurpantes. Cfr. de hoc libro, quæ dedit *S. de Sacy* in secundo volumine operis: *Notices et Extraits de Manuscrits* cet. pag. 124 et sqq.

4) *Ilhadji Khalfa* (ed. Flügel. N:o 1458) hæc tantum habet. الانيس المطرب وروض القرطاس فى اخبار المغرب وتاريخ مدينة فاس لعلى بن محمد بن عمر بن ابى زرع الفه لابى سعيد بن المظفر قبل سنه ٧٣٦. Ad aliud Nostri opus, quod in fragmento hocce etiam pag. 57 citatur, hæc idem notavit: زهرة البستان فى اخبار الزمان لعلى بن احمد ابى زرع. (Ms. arab. Bibl. Regiæ Parisiensis N:o DCCCLXXV).

5) Hoc nomen in codicibus variis variat: L. وبن يامين P. يومر Ch. et Ibn Khaldûn تومرت, *Moura:* Tumar, *Dombay:* Tumert, quibus etiam accedit compendium Lexici Geographici (مراصد الاطلاع Ms. Arab. Bibl. Reg. Paris.), ubi hæc leguntur: المصامدة نسبة الى مصمودة وهى قبيلة

بالمغرب كالمهلابه وهو موضع يعرف بهم بالمغرب منهم كان بن التومرت المستولى على بلاد المغرب. Apud Ibn Khaldúnum (fol. CIII) duplex ejus genealogia occurrit. Altera secundum *Ibn Reschík* (ابن رشيق) et *Ibn Elketán* (ابن القطان): محمد بن عبد الله بن وحليل بن يامصال بن جرة بن عيسى; altera hæc est: محمد بن تومرت بن نيطاوس بن سافلا ابن مسبغون بن ايكلديس بن خالد. Alii ad alium genus ejus referunt. At vera ejus origo e gentis Mesmâdæ familia *Hergha* (هرغة), tribu berberica notissima, est repetenda, quamvis se Alidam ipse fecerit. Schehab el din eum Muhhammed ben A'bd allah nominat, et hæc refert (Ms. cit. fol. CLXX). قال الغازى بن قيس اول ما دخل جد المهدى الى المغرب مع عقبة بن نافع واستوطن المغرب من حينئذ وفى الامام مهدى يقول الغازى بن قيس قبل ظهوره

هو الذى يملا جميع الارض ... بالقسط والعدل بحكم الفرض

وهو بلا شك سليل فاطمة ... وابن على ذى الاصول السامية

يولد فى الغرب البعيد عنصره ... بالاصل الفرع يطيب محضره

I. e. *Narrat Ibn Keis, expeditonum Muslemicorum scriptor, primum majorum Mehdii O'kba'm ben Nafi' in Meghreb fuisse secutum, ibique inde ab eo tempore domicilium fixisse. Idem de Mehdio ipso hæc cecinit*

Ille, qui omnem terram æquitate et justitia, statutum Dei firmando, implevit,

Sine dubio e Fatima filioque A'lii, cujus stirps omni vitio caret, originem ducit.

In Meghrebo dissito genus ejus natum est, cujus præsentia per suam originem illustrem placet.

Metrum Redjez est. — Cfr. quoque *S. de Sacy*, Chrest. Arabe Vol. II p. 297 ubi pro هرمى et هرعة sino dubio هرغى et هرغة legendum est.

6) *Schultzius* ille peregrinator infelix jam pridem in Annalibus Societatis Asiaticæ Parisiensis (Journal Asiatique, 2:me Série, Vol. II p.

117 sqq.) versionem dedit loci Ibn Khaldûni memorandi, ubi de variis tribuum berbericarum ramis loquitur. Doleo, me hunc tractatum ad manum nunc non habere.

7) Cura imperii Gallici, per Schultzium commonefacti, codicem Ibn Khaldûni in Bibliothecis Constantinopolitanis adhuc latentem describendum curarunt. Anno MDCCCXXXVII exemplar diu exspectatum Parisios advectum est; sed tanta incuria et, ut videtur, mala librariorum fide exscriptum, ut neque librum totum complecteretur, immo secundo volumine ex alio quodam opere adjecto, nec bene legi posset. — Eodem fere tempore aliud exemplar, utrum omnibus suis partibus absolutum haud scio, e collectione Rousseauiana proveniens, Parisiis venum datum est, cujus usum petentibus liberaliter concesserunt possessores. — Jam pridem Bibliotheca Leidensis, diligentia b. Hamakeri ac admiranda reipublicæ munificentia, VI voluminibus compositum opus Ibn Khaldûni conquisiverat; qui codex, si nihil desideratur, omnium facile princeps est habendus. — Bibliotheca Bodleiana duo exemplaria sectionis quintæ possidet, quæ apud Nicollium sub N:is CXXIV et CXXV optime recensita invenies. — Quibus codex Musei Britannici, supra commemoratus, est addendus.

8) Videas ex. c. narrationem Abulfedæ (Annall. T. III p. 150 sqq.), qui Lemtunenses Arabes facit. Cui opinioni etiam Ibn Abi Zera' favere videtur in fragmento edito, quamvis aliis libri locis semper ita de tribubus Sanhadjæ loquatur, ac si eas omnes berbericæ originis fuisse crediderit.

9) Si ad ultima verba hujus codicis (فلنرجع الى اخبار زناتة وذولهم ويكمالها يكمل الكتاب ان شاء الله تعالى) animadverteris, unum volumen, Historiam complectens tribus berbericæ maxime memorabilis Zenâtæ, heic desiderari videbis, id quod confirmatur a notitia codicis Leidensis, quam professori cl. Weyers debeo. In Tabulis genealogicis gentium berbericarum, quæ initio codicis Musei Britannici exstant, nullum occurrit nomen gentis cujusdam Zenatensis, quod, si eæ Tabulæ omnes complecterentur tribus, maxime est mirandum. Hanc vero difficultatem per Ibn Abi Zera'

expedire licet, qui, quum Historiam Merinidarum scripturus esset, genealogiam eorum posuit absolutam. Merinidæ enim ad Zenâtam pertinuerunt. Locum (in cod. U. fol. LXXIV r.) totum adponere e re duxi:

للخبر عن نسبهم الصريح ونسبهم العالى الصحيح قال المولف عفى الله عنه نقلت من تقييد الفقيه ابى على المليانى بخط يده قال بنو مرين فخذ من زناتة وهم من ولد مرين بن ورتاجن بن ماخوخ بن وجديج بن فاتن بن يدر بن يجعت (al. جفت) بن عبد الله بن ورتيب بن المعز بن ابراهيم بن سحيح بن واسين بن يصليتن بن مسرى بن زاكيا بن ورسيج (ورسيد al. ورسيك) بن زناتة بن جانا بن يحيى بن ثزية (تمسيت al.) بن طريس (ضريس) وهو جالوت اول ملك البربر بن رجيج (رجيك al.) بن مادغيس الابتر بن بز (بر al.) بن قيس بن غيلان بن مضر بن نزار بن معد بن عدنان.

Zenâta igitur locum suum in Tab. IIda inter posteros Dharisæ occupare debet, cum omnibus suis tribubus, sicut Mughrâva, Beni Jefrun al.

1) De nominis derivatione et significatione hæc leguntur apud Schehâb el dinum Cod. Bibl. Reg. Par. fol. CLXII): قال الامام الطبرى

ولم يشك احد انهم من بقايا العماليق ولما ساقهم افريقس الحميرى بامر نبى الله داوود سمّوا البلاد التى سكنوا بها باسم الذى ساقهم اليها وفى افريقية ولما رآهم افريقس يُبَربِرون صار يقول

بربرتْ كنعان لما سقتُها ... من بلاد الصنك للخصب العجيب
الى ارض سكنوها ولقد ... فازت البربر بالعيش الخصيب

- - - واما تسميتهم البربر فذالك لما صار ملك مِصْرَ لقيس غيلان كان له ولد يسمّى برّ فخرج مغاضبا لابيه واخوته الى ناحيه المغرب فقال الناس برّ برّ اى توحّش فى البرارى فسموا بربرا I. e. *Imâm Taberistanensis dicit: Non est, qui dubitat, eos (Berberos) esse reliquias Amalekitarum, quæ quum jubente Davide propheta Dei Afrikes Ilhimjarita eas abduceret, terram, quam inhabitarunt nomine ducis Afrikam adpellarunt. Gentem vero suam murmurantem audiens Afrikes, dixit:*

Canaan murmurat, quia eos a terra angusta in ubertatem pulcherrimam duxi;

In terram, ubi jam degunt et ubi Berberi vita potiti sunt opulenta.

---Quod ad denominationem eorum adtinet, Berber inquam, hanc ejus fuisse caussam referunt. Quum regnum Ægypti Keiso Ghailan obvenisset, filius ejus, cui nomen Berr erat, patri fratribusque iratus in regionem Meghrebi secessit; quare homines dixerunt: Berr Berra i. e. *in desertum se subduxit. Unde nomen* Berber *postea ortum est.*

2) Opiniones heic recensitæ, quas potius ipsius gentis traditiones vocaverim, omnes in eo conveniunt, ut Berberos Afrikæ Aborigines esse negent, sed ex Oriente advectos quodammodo contendant. In oris Afrikæ Orientalis aliam quoque invenimus gentem, quæ, sive nomen (Berberah) sive linguam respexeris, haud paucas cum his Berberis similitudines præbet. Quamvis veram harum rerum rationem indigare nondum alieni obtigerit nec umquam forsan obtingat; omnem tamen fidem tot testimoniorum consensui denegare injuria videtur, si ipsa hominis natura et externa quoque forma et species huic sententiæ momentum haud leve addere valeat. (Cfr. *Ritter*, Erdkunde ed. sec. Tom. I, p. 907 et sæpius).

3) Secundum analogiam مثالة legi et verti; utrum recte nec ne affirmare non ausim.

4) Inter varias ea عرق significationes, nulla melius contextui quadrare videtur, quam: *mons*, vel *collis arenosus*. Ubique igitur rectius legendum *I'rk* ubi *A'rk* scripsi.

5) Sine dubio جامدة est scribendum. — Vocabulum قصر, quod postea sæpius occurrit, in genere aliquid *circumscriptum* et *determinatum* significat, unde facile ceteræ deriventur significationes. Quum inter has omnes, quæ in Lexicis exstant, nulla id exprimere mihi visa est, quod auctor intendit, aliam, secundum analogiam bene defendendam, auctoritate vero, quantum scio, destitutam recepi, et قصر per *Oasim* ubique verti. Me non fugit, hanc significationem, quamvis pluribus locis ea optime conveniat, in aliis tamen non omnino idoneam adparere.

6) In codice Musei Brit. hæc duo nomina ita scripta semper obveniunt, ut librarius hæsisse videatur, quænam eorum fuerit prima littera. Hæc enim figuram ostendit litteræ د, cujus pars superior longius extracta et ad sinistrum paullum inclinata, a forma ر) tamen recedens. Si in *Luda* et *Lementit* scribendo recte conjecerim, haud statuo.

7) Spectat præcipue Ibn Khaldûn fortitudinem eorum et corporis robur. Sequentia e libro Kazvinensis عجائب البلدان inscripto (Ms. arab. Bibl. Reg. Paris. N:o DCCCXCIX pag. 104.) comparationis caussa, adfero: بلاد البربر واسعة من برقة الى اخر بلاد المغرب والبحر المحيط وسكانها امة عظيمة يقال انهم من بقية قوم جالوت لما قتل هرب قومه الى المغرب فحصلوا فى جبالها وهى اجفى خلق الله واكثرهم طيشا واسرعهم الى الفتنة واطوعهم للداعية الضلالة ولهم احوال عجيبة واصطلاحات غريبة سوّل لهم الشيطان الغوايات زين لهم انواع الضلالات

8) "Initio," inquit Ibn Khaldûn, "multi Berberorum religionem magicam, sicut in Persia floruit, professi sunt; a Francis vero devicti magna eorum pars cultum victorum Christianum sunt amplexi. Alii autem, jam inde a tempore quo bella adversus Israelitas gesserant, Judaismo fuerunt addicti. Edriso illi Edrisitarum prosapiæ auctori gloria omnis infidelitatis vestigii apud eos eradicandi debetur. Duce A'bd allaho ben Sa'd ben A'li Serhh (سرح) anno XXIX (p. Chr. n. DCL) Muslimici primas in Afrikam expeditiones susceperunt. Ibi Rex Francorum eo tempore Gergir (جرجير) fuit, qui terram inter Tripolim et Tandjam, cujus caput erat Subeitela (سُبَيْطَلة), tenuit. Quo devicto, Franci intra castella sese defenderunt. Pax tandem ea conditione facta est, ut trecenta Kintar auri Muslimicis penderentur, et hi deinde in orientem reversi sunt. Anno XLV (p. Chr. n. DCLX$\frac{V}{VI}$) Mua'vija ben Abi Sofian ducem suum Mua'vijam ben Khadidj cum exercitu heic misit, et, quamvis Græci auxilia mitterent, incolæ sunt devicti et Djelevla (جَلُولَا) capta. Ibn Khadidj mortuo O'kba ben Nafi successit, qui urbem Keirevân condidit. Jezid ben Mua'vija Abu-l Mehdjarum (مهاجر) præfectum suum constituit. Hoc tempore dux Berberorum summus fuit Ke-

sila (كسيلة) e tribu Berâna oriundus, quem æque ac Francos O'kba ille plane devicit. Castellis eorum expugnatis, in Meghreb el Aksa penetravit O'kba usque ad montes Deren, ubi Mesmâdam bello petiit, quam tribum postea in Sus etiam debellavit. Keirevânum reversum una cum militibus, quos secum duxerat, Kesila interfecit, qui jam quinque annos hanc tenuit urbem. Sed anno LXVII (p. Chr. nat. DCLXXX$\frac{VI}{VII}$) Keis ben Zuheir, ut mortem O'kbæ vindicaret, adversus Kesilam profectus est, quem omnino superavit. Postquam vero Keis reverterat, status rerum in Afrika penitus est turbatus (fol. XLIX). Inter varios duces, qui jam heic exstiterunt, Cahina Dhebha (الكاهنة دهيا), filia Nabæ ben Teifan (نابة بن تيفان), quæ montem Evras tenuit ejusque gentibus imperavit, maxime polluit. A'bd el Melik rex Hhassanum ben Ghassani præfectum Ægypti, ut Afrikam bello peteret, cum exercitu misit; et mandato ita functus est, ut anno LXIX Keirevanum intraret. Franci in Siciliam et Hispaniam confugerunt; Berberi autem duce Cahina Hhassanum fugarunt fugatumque Tripolim usque persecuti sunt, ubi A'bd el Melik eum commorari jussit. Ad annum usque LXXIV (p. Chr. n. DCXC$\frac{III}{IV}$), quo bellum Hhassan instauravit, Cahina tranquilla mansit. Jam vero, quum omnem regionem a Tripoli inde usque ad Tandjam devastasset, Berberi eam ob caussam irritati sese cum Hhassano adversus eam conjunxerunt, et copiis reginæ devictis, ipsam interfecerunt. Eodem tempore Berberi fidem Muslimicam professi sunt. Sed parum apud eos nova religio profecit. Musa igitur ben Nesir (نصير) præfectus Keirevani Tarikum ben Zijad Tandjæ præfecit eumque jussit, Koranum Berberos docere. Tempore demum, quo Musa et Tarik in Hispaniam transierunt, Islamismus apud eos vere stabilitus est censendus. Interea Berberi pluries rebellarunt. Anno enim CII (p. Chr. n. DCCXX—XXI) Jezidum ben Muslim Tandjæ occiderunt; et, imperante Khalifa Heschâm ben A'bd el Melik anno CXXII (p. Chr. n. DCCXL), Meisira Metferita (ميسيرة المطغرى) Amruum ben A'bd allah ibidem adgressus trucidavit et A'bd ella'læ (الاعلا) ben Khadidj, origine Græco, fide Schiitæ sacramentum dixit. Paullo post vero imperium ipse capessivit, quod tanta

crudelitate gessit, ut Berberi ab eo desciscentes Khaledum ben Hhamid e gente Zenâta oriundum ducem elegerunt. Hic exercitu collecto adversus Arabes profectus est, quos duce Khaledo ben Hhabib, ab Elhhadjâb hoc tempore Afrikæ præfecto misso, prope Vadi Schelf devicit. Kelthum ben Kuscheiri A'jadh, cui præfectura jam commissa est, sequenti anno in Vadi Tandjæ a Khaledo ben Hhamid fugatus est et copiæ Arabum in diversas partes, Hispaniam, Keirevanum, et Barkam sese dissiparunt. Hescham tandem Hhandalam Ibn Sefvan Kelbi in Afrikam delegavit, qui Anno CXXIV Keirevanum advenit. Bellum deinde sine ulla intermissione continuatum est, donec anno CLXXXV (p. Chr. n. DCCCI) Ibrahim ben Aghleb sibi posterisque imperium vindicaret, quod ad annum CCLXXXXVI (p. Chr. n. DCCCLXXX$\frac{I}{II}$) tenuerunt. Tunc vero Ketâma eos fugavit et imperium Arabum in Afrika ita evanuit."

9) In nominibus berbericis scribendis adeo variant varii codices et scriptores, ut veritatem indagare difficillimum sit. In Kamuso (Cod. Upsal. Benzel. sub برابر) *Sunhadja* et *Kutama* scribuntur, et alibi quoque plura gentium nomina, prima littera vocali Dhamma mota, vidi. In iis nominibus ubi littera ڭ occurrit vero simile est, eam ut nostrum *G* ante *A* esse pronuntiandam, quod etiam ex diversa horum nominum scribendorum ratione, ك sæpius pro ڭ usurpato, abunde adparet. At certis regulis destitutus, sæpius in hac re errasse me confiteor, cujus rei veniam æqui judices facile dabunt.

1) Paullo aliter titulus et nomen auctoris apud Hadji Khalfam legitur: اكليل فى الانساب تبيرة وملوكها لابى محمد الحسن احمد بن يعقوب اليمنى Auctor anno CCCXXXIV (p. Chr. n. DCCCCXL$\frac{V}{VI}$) Cfr. H. Khalf. ed. Flügel.

2) Librum heic indicatum in Hhadji Khalfa non reperi. Alius vero (Cod. Bibl. Reg. Paris. DCCCLXXV) ibi exstat, sic inscriptus: نظم السلوكيه فى تواريخ الخلفا والملوك مختصر من الهجرة الى سنة ٨٠٦

للشيخ عبد الرحمان بن محمد البسطامي الحنفي, qui forsitan illius est compendium.

3) Ibn Khaldûn, ut supra vidimus, eum *Tejlutan* nominat, cujus patrem *Telacakin* adpellatum fuisse dicit. In genealogia vero Murabitorum eum omnino omisit. Quod si O'mar ben Verkub hujus Telakakin frater sit habendus, id quod ex hac genealogia necessario sequitur, regni intervallum haud breve, quod post mortem Temimi ita exsisteret, nullo modo explicari poterit, nisi plura nomina post Verkub ex tabula excidisse ponamus. In apographo ejusdem tabulæ, quem e cod. Leidensi N:o 1351 summa cura exscriptum mihi cel. Weyers benevole misit, eadem ac in cod. Mus. Brit. leguntur nomina. Quam ob rem errores, si qui sint, ab ipso auctore derivandi videntur. Paullo post Ibn Abi Zera' O'marum ben *Telacakin* ben Vejactin commemorat, cujus gentiles dynastiam Murabitorum constituerunt. Si hunc Telacakin eundem ac illum Ibn Khalduni faciamus, eadem in annis computandis difficultas heic quoque oritur, quam nulla alia via tollere possumus, nisi etiam hoc loco lacunam in majoribus enumerandis inesse statuamus.

4) In textu محمد بن تيفات معروف بتارسنا legendum puto, sicut nomen supra scriptum exstat.

5) Hoc loco, ut paullo post (ولم يجبه منهم احد ممن يرضاه الشيخ) insolitus vocis مَنْ pro ما usus observaudus est. Quum omnes, quos vidi, codices, in eadem lectione congruant, hæc enallage dialecto Meghrebi forsitan est adscribenda; vel melius ita explicari debet, ut مَنْ pro شي heic sit usurpatum, id quod *S. de Sacy* in Anthologie Grammaticale p. 464 sqq. jam observavit.

6) Cfr. quæ habet Reiske ad Abulf. II, pag. 151 (not. 105). Ceterum narratio Abulfedæ a Nostro valde discrepat.

7) Dombay: *Ben el Kadri* vertit. De *Kadaritis*, qui nomine Mutazilitarum etiam insigniuntur adeas *S. de Sacy:* Chrest. Arabe, 2:de Ed. p. 351 et sqq.

8) Adludit sine dubio ad effatum Korani, Sur. VII, 71, ubi de Salihhi prophetæ ad Themudæos missione mentio injicitur.

9) Petis de la Croix: *au nom de Bachus.* Lectorem non fugit manifesta vocis *Ja Kes*, cum vocabulo Græcorum Ἴακχος congruentia, quæ tamen, ni fallor, casu potius quam re ipsa orta mihi videtur.

Corrigenda.

Pag.	7	l.	5	*diffirentia* leg.	*differentia*
—	9	—	2	*Moghrava* —	*Mughráva*
—	19	—	9	ad *Ibn Khaldunum*	6) adscribendum est.
—	31	—	5	infra *Kastilja* leg.	*Kastilija.*
—	33	—	4	infra *Ghomara* —	*Ghumára*
—	37	—	11	*propriæm* —	*propriam*
—	42	—	2	صنهاج —	صنهاجَ
—	63	—	5	*Hhasúra* —	*Hhasuri*
—	67	—	1	*Fehcrita* —	*Feherita.*

Tab. I.

Genealogia Berberorum, qui ad BERNES originem referunt.



Tab. II.

Genealogia Berberorum, qui ad MADGHISCH ELEBTER originem referunt.



GENEALOGIA MURABITORUM.



BINDING SECT. SEP 23 1970

DT
319
I17
1839

Ibn Abi Zar' al-Fasi, 'Ali ibn 'Abd Allah
Primordia dominationis murabitorum

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 12 19 16 10 021 6